JOACHIMI AB HIRTENBERG PASTORII

HISTORIÆ POLONAE

PARS PRIOR,

DE

VLADISLAI IV.

Regis extremis, ſecutoq; inde interregno,

ET

JOANNIS CASIMIRI

Electione ac Coronatione.

Interſerta Coſacorum & Tartaricæ Simul gentis deſcriptio, ac multa alia.

GEDANI,

Typis SIMONIS REINIGERI, Anno 1680.

Supremæ Voluntatis
ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI OLIM
DN. ANDREÆ TRSEBICII,
Epiſcopi Cracovienſ: Ducis Severiæ
Executoribus.
ILLUSTRISSIMIS ET REVERENDISSIMIS,
DN. JOANNI SBĄSKI,
Epiſcopo Przemislienſi, Abbatiæ Suleovienſis Adminiſtratori, Protectori Teſtamenti.
DNO. NICOLAO OBORSKI,
Epiſcopo Laodic. Suffraganeo, Scholaſtico & Officiali Cracovienſi.
DN. CASPARI CIENSKI,
Decano Cathedr. Cracov.
DN. ANDREÆ GRABIANOWSKI,
Canonic. & Archid. Cracovienſi.
DN. STANISLAO ROZRAZEWSKI,
Cuſtod. Cathedral. Cracovienſi.
DN. STANISLAO CIENSKI,
Cantori Cathed. Gneſn.
DN. CHRISTOPHORO CHRONOWSKI,
Can. Cracov. & olim Illuſtriſſimi Theſaurario.
DN. ALBERTO ZLOWOCKI,
Canonico Cracovienſi.
DN. JOANNI LUCKOWICZ,
Canonico Kielcenſi.

Florus

FLorus meus, ILLUSTRISSIMI ET PERILLUSTRES DOMINI, ſuccinctum, nec ingratum Orbi erudito rerum Polonicarum compendium, multis deſideriũ movit plenioris operis, quo, quæ brevibus ibi lineis adumbrantur, latiùs exponerentur, & quæ brevitatis causâ omiſſa eſſent, adderentur. Cui æquisſimo voto pro virili parte jam obſequor. Quia tamen antiquioris Poloniæ res togatæ ac bellicæ, prolixo ſatis nobilium ingeniorum labore celebratæ, noſtro minus indigent, recentiora duntaxat, & quæ noſtrum fatigavêre ſeculum, longiore filo contexta, & ſollicitâ multorum annorum curâ li-

mata, in lucem edere audeo. Ac primò quidem cum Coſacorum & Tartarorum infanda conjuratio, præcipuam noviſſimis Reipubl: bellis & calamitatibus, anſam ac materiam dederit, utrumq; hunc populum curatiùs, quàm ante à quoquam factum, depingere libuit, ut ſciat melior Orbis, quàm barbaro flagello plectere noſtra peccata irato Numini placuerit. Infelices deinde cum minori perfidorũ illorum manu, poſteà cum innumero conjuratæ multitudinis numero conflict°, & his tempore ſupparem, ſed immane, quàm intempeſtivum, verèq; infortunatum, fortunatiſſimi alioquin Regis *VLADISLAI* obitum, ac funus luctuoſiſſimũ, novi poſtea *Principis* electionem, inaugurationis ſolennia, Comitia, graviſſimasq; de nutante tùm Reip: ſtatu deliberationes, ſententiasque Senatorum, & Ordinis nobilium: improſperum

rum denique cum Duce Coſacorum, Chmielnicio, fortunâ ſuâ jam ebrio, pacis tentamen, multas ſimul ubique intertextas variorum literas & Orationes, primâ hâc parte complexus ſum, quæ ſecuta deinceps ſunt, additurus, ſi mihi, annis & laboribus feſſo, vitam Deus prorogare voluerit. Cæterùm has ipſas plenioris Hiſtoriæ primitias cum magno Senatori, magno & Patrono meo *ANDREÆ TRZEBICIO*, piiſſimæ memoriæ Epiſcopo Cracovienſi, Duci Severiæ, dicare conſtituiſſem, accidit præter opinionem, ut ingens ille & Neſtoris ævo digniſſimus Præſul, lucem hanc, quam noſter iſte fætus ſubire moliebatur, deſereret. Poſt fata Atlantis illius, quem ſemper deflebit, nunquam ſatis laudabit hæc Reſpubl:, ubi conceptus ex tantâ jacturâ dolor primos impetus fregerat, anceps me cura torſit, ad quem

partus

partus iſte, Patrino & ſuſceptore ſuo orbus, dirigendus eſſet. Variè circumferenti oculos, *Vos Illuſtriſſ. & Perilluſtres Domini*, occurriſtis, quos conſtat defuncto illi Ambroſio noſtro, inſignes ob virtutes, aliquos etiam ob ſanguinis nexum, maximè æſtimatos, maximè dilectos fuiſſe, mihi verò multis nominibus ſuſpiciendos, & vel ideò venerandos, quòd præclaram erga me & meos benevolentiam ſemper eſtis teſtati, ac porrò teſtaturos eſſe, certum habeo. Neque enim veterem gratiam minuent, quin potius, ut ſpero, augebunt hiſtorici labores, quibus æternitati Patriæ, & gloriæ Virorum illuſtrium, quorum non paucis vinculo generis innexi eſtis, ipſi quoq; variorum decorum plenisſimi, contra oblivionis & temporum injurias, conſultum imus. Suſcipite igitur, *Magni Tutores*, hunc pupillum, quantumlibet typographi,

ceu

ceu malæ obstetricis manib9, quodammodo deformatum, paterno gratiæ Vestræ sinu fovete, & contra invidiæ insultus, patrocinio vestro protegite. Valete,& in decus Ecclesiæ quàm diutissimè florete: Dab. Ged. 2. Maij Ao. 1680.

Illmar. & Perillustr.

Dn. D. V. Vrum.

Officiosissimus

S.

JOACHIMVS PASTORIVS, Proton. Apost. Chelmensis, & nominatus Varmiensis Canonic, Decan. Parochus & Offic. Gedan. ac Pomeran. generalis, Præpos. ad S. Albertum. S.R. Majestatis Polon. Historic. Secret. & Commiss.

Pastori

PAstori illustris, decus immortale Thaliæ,
Fallor &, aut sacri proxima cura Pedi,
Prodita dum pridem Superis, tua scripta revolvis,
Et patrii relegis Sceptra Deosq; Lechi;
Jamque Ladislai & Casimiri nomina adortus,
Tempora dum nobis tradere tanta paras:
Dî refovete Senem, precor, & Tu, Maxime Regum;
Nec nisi, Te scriptô, desinat ista manus.

JOAN. ERN. SCHMIEDEN,
COS. GEDAN.

HISTO-

HISTORIÆ POLONÆ De Bellis novissimis

PARS PRIOR.

PRÆLOQVIUM AD LECTOREM.

EX omni genere monumentorum, quæ luci publicæ destinantur, ardui maximè operis HISTORIA est. Rebus enim factisq; mortalium perennitatem, qualem dare aut ferre humana possunt, conciliare debet. Eam verò aliis conciliare non potest, nisi ipsa sese supra corruptionis periculum, temporumq; injuriam evexerit. Quod quàm difficile obtentu sit, expendunt ii, qui librorum fata, quorundamq; intra ipsa incunabula interitum non ignorant. Nimirùm ad tantæ molis negotium, exquisitâ actionum eventuumq; humanorum notitiâ, judicio benè subacto, diligentiâ indefessâ, otio liberali, animo deniq; gratiæ odiiq; experte opus est. Quæ res cùm rarò ingeniis universæ contingant

fit inde, ut pauci ad scribendam historiam accedant, aut, si accesserint, sub onere fatiscant. Jam ii, qui in ejusmodi opere defectus occurrunt, minimè omnium latere possunt, quia in id, quod ab Historico scribitur, multorum plerumq; animi intenti sunt. Quibus omnibus vel absolutissima scripta rarò satisfaciunt, ne dum ea, quæ vitio aliquo laborant. Nam & nationum plerumq; discordiæ ac certamina memoranda sunt Historico. Tum verò vix fieri potest, ut adversis æmulisve inter se Regnorum Provinciarumq; incolis idem placeat rerum narrator. Sicq; sæpe in quiete etiam armorum, partis alterius judicia bellum in Historiam gerunt. Aggravantur porrò scribendi difficultates, cùm res, prout à manu administrantium adhuc calent, excipiendæ sunt calamo. Nam uti in talibus novitas ipsa plerumq; rapit legentium animos, ita eosdem privata ut plurimum stimulatio narranti conciliat, sæpiùs alienat. Pleriq; enim famæ suæ vel cum dispendio veritatis ab Historico consultum vellent. Uti equidem maxima pars mortalium, etiam bonorum & sapientum, post æterna cæli bona, nihil ferè magis expetit, quàm prosperam & diuturnam sui memoriam. Sed quemadmodùm homines actionum meritis, fortunæq; simul succes-

sibus.

sibus differunt, ita iidem haud pari modo haberi in Historiâ possunt. Hæc enim speculum esse debet, faciem meritorum cujusq; bonâ fide referens. Unde fit, ut imagine sui, quam istic expressam & ad posteros abituram esse sciunt, alii delectentur, alii multùm offendantur. Sunt, qui ipsi laudem non merentur, & eò iniquiùs ferunt alienam. Itaq; in sui diminutionem accipiunt, quæ de alio traduntur gloriosa, porroq; offensam, quam in æmulum, aut inimicum concepêre, in Historicum evomunt. Aliqui factionis suæ, aut morum etiam gentilitiorum nimis delicati amatores, libertatem sequiora perstringentis pati non possunt. Aliorum verò austerus, & seculo rerumq; regimini obirascens genius immodicam libertatem desiderat. Quibus adeò non placebis, nisi multùm subinde miscueris acerbi, prorsusq; ad obtrectationē accedas, quam pronis auribus accipi, jamdudùm acutissimus Historicorum dixit. Quosdam etiam sententiarum in sacris diversitas à vero, virtutisq; in adversis partibus repertæ æstimatione abstrahit. Multi deniq; secretissima quæq; Principum consilia in Historiâ vestigant, quæ nisi reveles, perfunctorius videberis Historicus. At ea sæpè nec scire statim, nec tradere profectò licet, præsertim antequam ipsa sese effectus rerum explicuêre.

Me, cordate Lector, ad hæc, quæ vides, scribenda, nulla virium, quas nimis tenues esse scio, fiducia; nulla quoq; otii, quod inter tot alia occupato exiguum sanè superest, copia invitavit. Sed & cùm scripsissem, diu me à publicandi proposito, difficultatum, quas exposui, meditatio, tùm præterea illud inprimis retinuit, quod quò diutius pressissem opus, eò & penitiora & certiora omnia me traditurum sperarem. Nam etsi ab initio acta & consilia publica ex tabulario Regio, literis Principum, Senatorum, Ducum belli, Legatorum, hominum deniq; aliorum ad introspicienda rerum arcana missorum, relationibus hauserim, quidusdam & ipse interfuerim: spatium tamen moræ, nec exiguum, interponendum putavi, ut diligentiùs omnia conferrem, excuterem, ac tempori ipsi, quod verum à falso plerumq; non malè tandem discernit, limanda præberem. Et tantò minùs cruda, aut malè explorata promere audebam, quod in finistra admodùm Reipubl. hujus fata inciderit labor meus. In tali enim rerum vertigine, quò veriora scripseris, hoc major imminet offensa & invidia. Reticere quippe misera, vel colorare deformia, non decet historiam, & frustrà teguntur, quæ in oculis omnium sunt, ac famâ publicâ longè lateq; sparguntur, alicubi

etiam

etiam in majus augentur. Plerumq; enim adversæ hominum ac nationum res multis insuper falsis onerari solent. At studiosa veri Historia gentium quidem decora cum curâ & sine livore, sed & dedecora citra insultationem memorat. Undè adeò in Romanæ Reip. Scriptoribus, non Carthagines tantùm, Antiochos aut Perseos debellatos, sed & Furcas Caudinas, & Cannas & Thrasimenos legimus. Mihi equidem, ut homine ingenuo indignum videtur, cuiquam blandiri in Historiâ, ita obtrectare pro magno crimine habetur. Quid enim hoc aliud est, atq; in publico orbis theatro bonâ existimatione alterum exuere velle? quam ut dixi, benè nati, beneq; instituti homines inter carissima plerumq; habent. Optimum igitùr tutissimumq; omnium esse arbitror Historico, animo styloq; modesto, semotoq; inprimis omni partium Studio, quàm maximè ubiq; studere veritati. Eâ enim uti fortunæ vices mortalitati, nimis quandoq; sui securæ, ob oculos ponuntur: ita factis hominum merces sua rependitur, quam ubi quisq;, prout dignum se præstitit, recipi offendi, si bonus [illegible] neq; debet, si malus. Nam iniquis adversationibus latiùs plerumq; famæ ulcera diducuntur, magis utiq; dispalescunt. Illatam verò scriptoribus

 inju-

injuriam virtus ipsa, & omnis laudabilium ingeniorum posteritas, ut suum vindicat. Cæterùm minimè dubius sum, in hoc opere benignum etiam Lectorem repertururum aliqua esse, quæ desideret. Certè in aliquibus hic justo brevior, in aliis contra prolixior videbor. Sed id utrumq; diverso argumenti merito, illud verò insuper relationum fide dignarum defectui, hoc copiæ earundem tribui velim. In tam vasto enim Regno haud pari facilitate ad unum omnia & singula deferri, quâ spectari quæq; à singulis aut geri potuêre. Mihi suffecit, nihil memorabile, quod scirem, incuriâ transmisisse. Neq; sanè in rebus, quarum exactam notitiam habere licuit, laudem brevitatis (inposterum tamen DEO volente diligentiùs servandæ) quæsivi. Tam enim graves Reipubl. paroxysmi sunt, qui hîc describuntur, ut omnia eorum vel minima momenta pertinere videantur ad posteritatis curam. Et in tot illustribus togæ sagiq; negotiis, tot summis discriminibus describendis nulla utiq; diligentia potuit esse nimia. Ejus generis sunt Rebellionis Russicæ primi motus, & mox progressus ejusdem oppidò stupendi: universæ Tartarorum gentis robur, Rebellibus innexum, & unà cum iis toties grassatum in ipsis Poloniæ visceribus:

bus: Vladislai Regis decessus, Regno prorsùs fatalis; exercitus aliquot miserè cæsi, aut fædè dissipati: publicæ multæ super periculosis Reipubl. morbis, eorundemq́ remediis, deliberationes: Regis novi post Vladislaum IV Electio, magnis difficultatibus constans, Coronatio ejusdem; Pereaslaviensis de pace negotiatio, Obsidio Zbarasiana sanè memorabilis, Sboroviana, & denique Beresteciana expeditio, & alia istiusmodi, posteritatis causâ & propter exteros talium curiosos, operosiùs exposita. Nec tenuioris ponderis erunt, quæ sequuntur, continuò adhuc cum seculo procedentibus ut negotiorum calamitatumque nostrarum, sic remediorum prodigiis. Orationes varias, ut & literas haud paucas hîc inserui, quia quemadmodùm bella, ita togatas quoque res à me vides expositas, illas inprimis, quæ in Comitiis contigêre. Hæc enim in Poloniâ, ut constat, diserta ut plurimum facit acris Civium indoles & delicata libertatis custodia. Sed & ipsa plerumque adversa qualia hîc describo, ingenium facundiamq́ acuunt. Neq́ verò cuiquam affictum hîc à me sermonem vel epistolam autumes. Nam etsi scio, præcipuos Historicos permisisse hoc sibi, ego tamen in istis quoq́ religiosior esse volui. Cumque adeò literas & sermones ejusmodi, prout sonuissent, bonâ fide exceptos

nactus

nactus essem, in Latinum meis verbis traductos apposui, malens scilicet alienorum operum interpres esse, quàm fictorum autor. Plura excusare hîc possem & deberem; sed cætera Tuæ, Lector, benignitati relinquenda censeo, quæ majorem meretur laudem & gratiam, cùm ultrò ignoscit.

HISTORIÆ POLONÆ
De
Bellis novissimis,
LIBER I.

EXordium mihi Historiæ, Vladislai Regis extrema, turbidæq; illo decedēte, res Poloniæ, & inprimis motus Cosacici erunt. Qui ex privatis unius hominis offensis, paucorumq; de eodem grege armatorum coitionibus orti, assumptis dein auxiliis Tauricanis, concurrenteq; ad novam fortunam universâ Russicâ plebe, in immanem belli molem Regniq; totius diuturnam calamitatem evaluêre. Adjutum tempore malum est, quia in Rempubl. non securam duntaxat, sed suâ quodammodò felicitate laborantem, post & Capite orbam, viribusq; adeò suis, defectu vitiove regiminis, uti impotem inciderat. Hinc magnis successibus roborata rebellio, cùm diu nec armis, toto Regno commotis, nec interpositis etiam transactionibus satis unquam solidè cessisset, aliis postremò validissimis gentibus in Poloniam munivit

viam. Quæ omnia dùm ordine narrare aggredior, de Coſacorum, qui primum operis argumentum & omnium apud nos bellorum anſa ſunt, ſede, genio, & moribus præmittendum aliquid videtur.

Russiæ divisio. RUSSIÆ, ſeu, quod apud veteres uſitatius ferè eſt, Roxolaniæ nomen multas, easq; vaſtisſimas Europæ Provincias complectitur. Quarum quæ à Livoniæ Lithvaniæq; finibus in extremum Septentrionem, & ipſum usq; glacialem Oceanum porrigitur, cæteris ſpatio terrarum longè amplior, ſed eadem frigore, tum ſylvarum paludumq; aviis, moribus deniq; habitatorum multò aſperior eſt. Eam quidam Rusſiam nigram appellârunt, vel quia in ultimi Septentrionis, longarumq; noctium caliginem receſſit: vel à veteri incolarum habitu, qui & Melanchlænis iſtarum regionum populis olim nomen fecit. Nunc vaſtisſimus ille terrarum tractus nomine ab Urbe Principe asſumpto, MOSCOVIA dicitur: totaq; hæc regio ultra Europæ etiam fines patens, uni & infinitæ poteſtatis Dominatori ſubjecta eſt, quem Magnum Ducem, vulgò Czarum nominant. Cæteram verò Rusſiam antiquum jus, tum vis armorum, aut ſpontanea accesſio Poloniæ Regno innexuit. Illa enim pars, quæ RUSSIÆ ALBÆ appellationem

tionem habet, ad Lithvaniam pertinet. Pars alia ſub montes Carpathios, & Moldaviæ Daciæq; confinia procurrit, & quia meridiano magis ſoli exponit incolas, RUSSIA RUBRA nuncupatur. Sed ultra has, alia longè potentisſima regio eſt, quæ pariter generali Rusſiæ nomine gaudet, diſcriminatiùs tamen loquentibus Ukraina vocatur, eò quod finibus Regni Polonici, quà id exercitatisſimum jam dudùm bellis fuit, prætexitur. Etenim inter Boryſthenem, Tyram, Hypanimq; fluvios (ut alios minùs celebres jam non nominem) latè protenſa, uno latere Moſcorum Imperio, alibi Tauricæ, Moldaviæ, Daciæ, ipſiq; adeò Turcicæ potentiæ objicitur. Sed quia illa antiquis etiam ſeculis, gentibus variis ferocisſimisq; finitima fuit, jam tum collectâ hinc inde colluvie hominum, diverſi, nec optimi ſemper generis, repleta eſt.

UKRAINA Latinis confinium notat, à Kray, quod oram ſeu finem ſignificat.

Certè Dithmarus Epiſcopus Mersburgenſis, qui milleſimo decimo ſeptimo anno Servatoris Chronicon ſui temporis ſcribere cæpit: *Omnem hanc Provinciam, uti & KIOVIAM ipſam, fugitivorum robore ſervorum, huc undiq; confluentium, & maximè ex velocibus Danais* (accolas Danubii vel Tanais, qui etiam hodie Donenſes vocantur, notat) *multumq; nocentibus Petinegis* (Peu-

gis (Peucinorum veterum reliquiis) *consistere* ait. Postquam verò Russorum vetus dominatio prolabi, atq; hinc quidem Polonorum potentiâ prævalente, illinc autem populationibus Tartarorum, qui occupatâ Tauricâ Chersoneso, vicina omnia longè lateq; pervagabantur, succumbere cœpit, magna paulatim terræ istius pars, præsertim, quæ Tartaris propior aut patentior fuit, in solitudinem abiit. Defuncta deinceps bellis Prussicis, quæ cum Cruciferis diutissime gesserat Polonia, refrænare nonnihil Tartaros, avorumq; nostrorum memoriâ, novas in hæc deserta colonias inducere cæpit. Quibus defendendis, sub Sigismundo Augusto & Stephano Batoreo Regibus, excubitor impositus est exercitus, iisdemq; conservandis Magnatum quorundam latissimas ibi ditiones possidentium, fortitudo perpetim invigilavit. Ita ut istic assidua quædam Martis arena esset: Polonis, campos uberrimos, & omnis generis fructuum, si colantur, feraces, usui suo magis magisq; aptare atq; ab invasoribus asserere laborantibus. Contrà Tartari eosdem incultos atq; inhabitatos esse malunt, in latiorem populandi utilitatem; tùm ut interjectâ hac spatiosissimi deserti vastitate sedes ipsorum â vi Polonicâ remotiores tutiores

Campi deserti.

tioresque esſent. Ex iſtarum porrò ſolitudinum latibulis facilior illis ſemper in terras, Regno Polonorum innexas, excurſus patet. Hinc irruendi tempora ſpeculari, hîc actis prædis occulere ſe conſveverunt: accolis ſequi rarò audentibus, quia celeritatem illorum nôrunt, & longiùs perſequentibus ab eodem hoſte magnâ hominum vi, & ſubinde furtim redeunte, nec minùs alibi à fontium penuriâ periculum eſt, cùm interim Tartari ſolito pabulo lacte & carne equinâ nusquam deſtituantur. Horum autem populationibus priorum temporum Ruſſi non habuêre penè quod opponerent, quàm colluviem hominum, rapiendi agilitate hoſti illi quàm ſimillimam, qualem in aviis iſtis, certorum incolarum expertibus, opportunitas & licentia prædandi numeroſam ſubindè concivit. Quæ Coſacorum nomen vel ipſa ſponte asſumpſit, vel ab aliis accepit. Origo enim voci, æquè ut ipſis his hominibus obſcura & dubia eſt. Alii inter quos eſt illuſtris ſcriptor Piaſecius, à pervagâ & cuncta perſultante caprarum (quæ Sarmaticâ linguâ Kozi dicuntur) agilitate dictos putant: qui & Coſacis ipſis initium fuisſe tradunt ex caprarum paſtoribus, quales hodieq; in finitimis Moldaviæ ac Hungariæ montibus degunt, homines

Coſacorum origo & nomen.

miræ

miræ velocitatis, ſed eâ ad latrocinia abutentes. Varia his nomina, verùm à Coſacico planè diverſa. Quod non tam iis datum video, qui montes, quàm qui flumina quædam atq; etiam maria reddidêre infeſta. Ita Coſacos Volgam, Tanaim, Boryſthenem fluvios celeberrimos, Coſacos etiam Pontum Euxinum & mare Caſpium audimus percurrere. Nam quod Joſephus Bengorion maris Caſpii decurſores Choſaros appellat, errore factum puto: cùm Coſakos dicere debuiſſet. Mihi, ut fatear, quod res eſt, eò inclinat animus, ut nomen Coſacis à palmario ipſorum opere, famoſo nempe illo per fluvios & maria decurſu exiſtimem ſediſſe. Perinde enim ut alibi ſimile genus hominum, Curſari à currendo, ita à Slavonicâ voce Chodzic primùm Chodziaci, poſtea Coſaci facilè dici potuêre. Audivi aliquando de voce hâc diſſerentem magnum, & ingenio prudentiâq; inter primos conſpicuum Senatorem. Ille nomen hoc à navigiis, quæ in Poloniâ kozi vocantur, ortum arbitratur. Cæterùm qui noſtris terris plus aliis innotuerunt Coſaci, duûm generum ſunt, locis diſtincti, inſtitutis moribusq; ſimiles. Remotiores ſub Moſci ditione Tanaim, antiquorum ſenſu terminum Aſiæ, accolunt, & Donenſes vocantur. Qui

Coſaci duplices.

Poloniæ

Poloniæ ſubjecti ſunt, ſedem ſuam præcipuã habent in inſulis, quas Boryſthenes, vulgò Dniepr, cataractas ſuas, quas mox deſcribã, præterlapſus, plurimas facit, & inde ii tùm zaporoviani tum Niſovienſes, quod inferioris fluminis partes, ſolumq; declivius habitant, appellantur. Alii Niſovienſiũ vocabulum ex Græcâ voce νησος ortum exiſtimant, ut quaſi inſulani fuerint dicti. Boryſthenes enim ampliſſimus & rapidiſſimus Sarmatiæ fluvius, ubi quinquaginta circiter milliaribus Germanicis infra Kioviam proceſſit, anguſto inter ſcopuloſas utrinq; ripas alveo veluti ſtrangulatur, curſumq; ejus plures rupium ſeries, traverſim porrectæ interſecant. Sic, ut aqua iſtic per tredecim veluti gradus ſaxeos, alios intra flumen latentes, alios ſuprà, inæquali tamen altitudine eminentes, præceps ruat, non ſine horribili ſtrepitu: quia objectis molibus, magno impetu illiſus nec ſine luctâ decidens fluvius, alio ſubinde atq; alio ſcopulorum ordine excipitur. Hæ cataractæ Ruſſis *Porohi*, hoc eſt limina: qui verò ultra eas habitant, Coſaci inde Zaporohiani vulgò (ut dixi ante) Zaporovienſes vocantur. Quibus Boryſthenes nutricius, protector & præcipuum delicium eſt. Hunc illi, tametſi rapidiſſimum, & tot rupibus impeditum, ultro ci-

Boriſthenes.

Cataractæ, vulgò Porohi, unde Zaporovianis Coſacis nomen.

tro citroq; ſumma facilitate decurrunt, ipſos quoq; cataractarum ſcopulos ſecurè trajicere ſoliti. Et id pro ſpecimine ac experimento veri Coſaci habetur. Cæterùm cataractarum illi ordines, cùm tredecim numero ſint, ſinguli ſua nomina habent. Nos, quia omnia hæc ſcire parùm fortasſis Lectoris intereſt, præcipuos recenſebimus.

Codak. Primus, *Codak*, ab ejusdem nominis flumine hîc Boryſthenem ſubeunte appellatur. Et idem vocabulum Arci ibidem, ſub auſpiciis Vladislai IV Regis, à Stanislao Conjecpolscio Caſtellano Cracovienſi, & Duce exercituum, in Coſacicæ paritèr ac Tartaricæ licentiæ frænum, ſuperioribus annis ſtructæ, contigit. Medio inter decimam & undecimam cataractam ſpatio locus eſt, ubi Tartari in Poloniæ ditiones ituri, natatu Boryſthenem trajicere ſolent, ripis uttinq;, ſubituros flumen, proniore, quàm usquam alibi, poſitu, recipientibus. Intra ipſa porrò hæc cataractarum intervalla duæ inſulæ ſunt.

Strzelci Inſula. Altera Strzelci vulgò dicta, pasſus ſeptuaginta latitudine, ambitu quingentos circiter complectitur, cæterùm aſperitate & præcipitiis cultum omnem humanum excludit, alitibus eò frequentatius quietiusq; habitaculum. Altera grandior ex rupe pariter totâ, ſed minùs tamen præruptâ conſtat,

ſtat, adeò ut habitationi non incommoda, ad vim etiam externam arcendam facilè ſufficiat. Hîc ubertim genus quoddam arbuſti naſcitur quod *Tavola* vulgo *Sarmatico dictum* ad expugnandas in equis urinæ difficultates ſolet adhiberi. Ex arbore inſula ipſa nomen accepiſſe videtur. Tavolzani enim appellatur. Et quia undecimo cataractæ vicina eſt, hic ipſe idem vocabulum obtinuit. Ultimus cataractarum, quia leniùs aquis fluvii obſiſtit, Wolny vulgò dicitur, & cùm opportuno ad arcem vel oppidum recipiendum ſitu ſit, nunc tamen omni ædificio cultuq; caret. Superatis omnibus Cataractarum obicibus ad *Kaſſawarite* devenitur, locum à milio cocto nuncupatum, quo nempe reficere ſe ſoleant, qui periculoſas has fluvii quaſi ſyrtes ſalvi evaſerint. Inde modico ſpatio diſtat *kuczkuſow* locus ab amne in Boryſthenem hîc influente cognominatus, anguſtoq; dicti fluvii, in ſinum ſe hîc flectentis, alveo, tum Tartarorum trajectu inſignis. Quia enim non ſupra quinquaginta paſſus hîc patet Boryſthenes, & ripæ acceſſu faciles, nullis etiam ſylvis, unde periculum tranſeuntes metuere posſint, inumbrantur, hàc amant prædones illi flumen tranſnatare, Hinc nõ longè abeſt Chorticza, quam in

Tavola arbuſtũ.

Tavolzani Inſula in Boryſthene.

Tartarorum trajectꝰ.

Chorticza Insula. duos se alveos partiens Borysthenes utroq; brachio amplectitur, insulamq; facit, duas leucas Ruthenicas longã. Latitudo non ultra dimidiũ milliare porrigitur. Quercetis hæc insula supra alias abundat, nec inundationib9 facile obnoxia est. Nobilitavit eandem Demetrii Ducis Visnovecii, fortissimi olim Herois, virtus. Is enim ut Scythas longius à Patriæ suæ finib9, illoq; inprimis, quẽ modò nominabamus, trajectu arceret, in hac insulâ militiæ suæ sedem & robur fixerat: hostibus istum excursionum suarum obicem impatientissimè ferentibus. Unde & Chanus ipse Tartaricus, eò nervos omnes intendit, ut loco isto præsidia Polonica excuteret, dictumq; Ducem, muro insulam sepire molientem, obsedit. Is ubi vires Tartaricas diu invictâ fortitudine sustinuerat, tandem, deficiente alimento, ipsisq; jam equis in cibum absumptis, naviculas Cosacorum cum suis conscendit, sicq; fluminis & scopulorum adversa feliciter eluctatus, Czerkasos incolumis pervenit. Ultra Chorticzam latiùs excurrit Borysthenes, ipso ei devexioris soli situ spatium pandente. Et *Wielki Ostrow.* in eundem non longà hinc ad insulam, *Wielki Ostrow* dictam, torrens rapidissimus (Konska Woda) præcipitat. Qui tamen majori flumini sociatus magis, quàm immixtus, aquas suas seorsim & alveo proprio

ad duas penè leucas vehit. Alicubi etiam abiens prorsùs ſeparatur, inſulamq; facit, quâ multo ſabulo oppletâ, poſt modicum intervallum in Boryſthenem redit. In eundem hunc ex adverſo, ſed inferiùs paulò, alius amnis Tomahowka illabitur, datq; nomen Inſulæ non magnæ quidem, ſed vim atq; arma parantibus arcentibusve Coſacis apprimè opportunæ. Nam hæc & ſylvarum denſitate quosvis auſus occulit, & quia extrema ejus prærupta ac valde edita ſunt, patet inde proſpectus in loca circumjecta, adeoq; ſi cui aggredi lubido ſit, is nullo negotio prohiberi poteſt. Eâ aſperitate cùm hæc ſit inſula, Coſacis gratisſima ſemper ſedes fuit, ut credas cum naturâ id hominum genus luctari velle. Hîc radix, ſeminarium, velutq; Gymnaſium præcipuum iſtius turbæ. Hîc duritiem corporum adverſus cœli injurias, hîc ferociam animi induere ſoliti: vetuſtisſimis quibusq; Coſacis alios iſtîc haud molli manu ad labores & frugalitatem, quibus ipſi inſvevêre, ducentibus. A Tomahowka non procùl diſtat locus, ubi Czertomelicus amnis Boryſthenem ingreditur. Qui hîc latiùs quàm usquam alibi exſpatiatus, & ut alveo, ſic viribus multifariam diviſis languidior, plurimas inſulas efficit. Illæ quia admodùm numeroſæ, pleræq; autem

Tomahowſka Inſula.

Præcipuũ latibulum Coſacorum.

Czertomelicus amnis.

autem ſpatiis anguſtæ, nec niſi tumulorum inſtar extra flumen eminent, ſubinde aquis obruuntur, nec habent certa nomina: Piſcatui commodæ, quia exiguum laborem largisſimâ plerumq; capturâ penſant, cæterùm accesſu aſpectuq; difficiles, accedentibus inhoſpitæ, niſi his, quibus genius & asſvetudo triſtia omnia grata fecit, Coſacis. Una in medio omnium ſita, cæteras magnitudine antecedit, & rudera oſtentat veteris alicujus arcis reliquias, quas eminentior loci ſitus, undis etiam cum tumidisſimæ ſunt aliaq; omnia operiunt, inaccesſas facit. In iſtis inſulis intimus & ſecurisſimus Coſacorum recesſus eſt. Nemo enim, præter illos, hos fluvii in tot æſtuaria diſperſi anfractus, ac quaſi mæandros, ingredi unquam auſus eſt: & Turcæ aliquandò, cùm Coſacos ex Ponto Euxino cum prædâ revertentes, longiùs perſequerentur, has circa anguſtias pesſimè accepti ſunt. Hîc itaq; ſpolia, opes, & quicquid latere vellent Coſaci, recondere conſuevêre. Hîc * alicubi etiam ſub aquis machinas bellicas, ne, quibus non

Insulæ Coſacorum.

**Quâ de re qui plura volet, conſulat Gviliel-mũ Beauplanium, Nobilem Gallum, Virum de Poloniâ, in quâ ſub Magn. Conjecpolſcio, ductor cohortis & ſimul Architectus bellicus diu cum laude militavit, ipſâ etiam Ukrainæ & receptaculorum iſtorum Coſacciorum deſcriptione in publicum datâ præclarè meritum.*

bus non oporteat, exponerentur, jam olim abſtruſas, nonnulli memorant. Quicquid ſit, his utiq; locis præcipua ſemper conciliabula ſua habuerunt Coſaci. Et hinc plerumq; prima eorũ Effulsêre arma, quoties in Turcas, Tartarosve, vel etiam Polonos mota ſunt. Qui inter eos veterani erant, his in locis vel degebant perpetui, piſcibus venatuve vitam tolerantes, vel huc ſubindè ventitabant. Ad quos alii ſimilis notæ ex terris vicinioribus, Kievienſi inprimis, æſtate, & quoties aliquid ſtruebatur, magno numero confluebant. Nec agreſtes tantùm, ſed ſubinde etiam ex Nobilibus aliqui, quibus cum fortunâ vel otio ſuo malè conveniret. Collecti in unum, Tartaris plerumq; inſidiabantur: quos ſeu per neglecta camporum cum familiâ armentisq; ſecuriùs errantes, ſeu prædæ intentos implicitosve, ad aliquem Boryſthenis trajectum invadere repentè, raptare & cædere geſtiebant. Non rarò ſecundo Boryſthenis flumine in pontum Euxinum invehuntur, præſidio Turcico, quod ad Oczakoviam, fauces maris illiꝰ ad duo milliaria patentes cuſtodit, inobſervati, ſæpe etiam inſultantes. Non navibus freti, qualibus maria alibi trajici ſolent, trajectusq; olim eſt Pontus Euxinus, cùm Ruſſi veteres plusquã ducentarum navium

Coſaciex agreſtibus conflati.

Tartaris inſidiantur.

Et Turcis infeſti.

classe Constantinopolin, imperante ibi Romano, circa annum Christi nongentesimum sexagesimum, invasêre. Sed Cosaci lembis utuntur, quos sexaginta circiter pedum longitudine, ex truncis tiliarum fabricant. Hos enim cavant, & in formam Scaphæ quinquaginta amplius armatos capientis, ad lentum ignem arte singulari diducunt. Intùs verò coriis, & ad latera manipulis junceis, apte inter se nexis, munitos succinctosq; in mare impellunt, procellarum fluctuumq; securi. Dubium an origine, vitæ utiq; & morum similitudine referunt veteres Zygos & Heniochos, gentes pariter Sarmatici generis, quorum in decurrendo hoc eodem mari velocitatem & lembos prædatorios Strabo lib. XI. describit. Fuit, cũ plusquam centum scaphæ tales, multa armatorũ cosakorum millia, in Natoliam exposuêre, & magno isthîc terrore, fugâ ac deniq; paupertie factâ, multis spoliis dites, ad sua reversæ sunt. Multi adhûc seniorum meminêre tempus, cùm non Varnam modò, Oczakoviam, Techiniam, Belgradum, sed Trapezuntium quoq; locupletissimam Asiæ urbem, & mox Synopen, Mithridatis olim Regiam sedem, expugnârunt: & ex ipsis deniq; Constantinopolitanis suburbiis ingentem prædam, nemine prohibente, abstulere

Cosacorum naviculæ.

Prope etiam similes lẽbos Tacit. hist. lib. 3. depingit.

Irruptiones Cosacorum in Turciam.

ſtulêre. Ea iſtis hominibus navigandi bellandiq; audacia, ea pernicitas eſt. Accedit, cùm quid moliuntur, ingens ſobrietatis cuſtodia, magnum ad res gerendas adjumentum. Neq; enim in lembos ullum potum generoſiorem inferre licet, ne fortè ebrietas vigilantiã cujusquam agilitatemve hebetet. Cibo etiam ut ſemper, ita in expeditionibus ſimplicisſimo laborem tolerant, milio inprimis victitantes, quod in vicinis Boryſtheni oris felicisſimè provenit. Habitu iidem utuntur facilè parabili. Quippe ex ovium tergoribus rhenones hyeme geſtant, æſtate panno laneo teguntur, albicante plerumq;, quippe qui apud Ruſſos penè omnes domeſticâ texi manu ſolet, nulloq; colore inficitur. Arma iis, non ut olim, harum terrarum incolis ſagittæ, ſed ſclopi, leviores tamen, & ita comparati, ut quemadmodùm feras, ita quidvis aliud ictu certisſimo feriant. Neq; hos aliundè quærunt, cùm plurimi inter ipſos ſint, qui conficiunt, uti & pulverem pyrium: terris iſtis omnia hic neceſſaria abundè ſemper ſuppeditantibus. In bello his præcipuè ſemper eminuêre. Inediam, labores, aëris injurias, ſupra omnes etiam aſperrimos populos, ferre, ut ante innui, nòrunt. Hoſtibus non modò ſclopis ſuis, ſed inprimis

Victus Coſacorum.

Arma.

etiam arte fallendi formidabiles. Quibus inexpectati, & vel per gramina arrepentes, caliginosâ aut imbribus fædâ nocte superveniunt. Suas ipsi stationes, jactis subitò aggeribus, vel carris, quibus euntes impedimenta vehunt, circumdant & pertinacissimè defendunt. Istis moribus & mores secutis succesfibus crescebat olim & animus & numerus Cosacorum. Sed diu sine lege egêre, eodem duntaxat licentiæ & prædarum amore invicem vincti, furtorum tamen inter se semper abstinentisſimi. Unde adhuc si quid vel minimum cuiquam incuriâ vel casu periit, id ab inventore, si possessorem noverit, sine dolo redditur, aut in loco publico, præcipuè inter machinas bellicas, depositum manet, donec repetat possessor. Postea eosdem tempus & necessitas sub certa etiam signa colligi & imperia pænasq; militares ferre docuit. Jam dudùm itaq; Duces suos habent, quibus & Legatos, & Tribunos, & Consiliarios, Assavulos ipsis (corrupto fortasse ex Græco βȣλὴ vocabulo) dictos, adjungunt. Paucis tamen nominibus magnum plerumq; exercitum complectuntur. Nam legiones eorum, quibus Tribuni singuli præficiuntur, multa hominum millia, sæpè plusquam septem continent, diverso à cæteris gentibus

bus more, ubi nunc paucæ centuriæ legionum nomen circumferunt, non alio ferè fructu, quàm quod militarium dignitatum nomina multiplicantur, ambitiosis & sæpè haud alia præmia militiæ accipientibus, non ingrata laborum autoramenta. Consultantium verò maxima semper vis est in favore & consensu totius multitudinis, quam vulgò *Czern* vocant. Ea turbida & facilè mutabilis, incertam plerumq; & sæpè admodùm brevem Ducis vel Præfecti inter ipsos potestatem facit. Græci omnes, paucissimis exceptis, ritûs sunt, eòq; præcipuè respicere illos cæperant, quotquot in Russiâ eorundem sacrorum, post haberi aut premi se querebantur ab aliis. Inprimis verò Nobiles istîc & Magnates quidam obliquiores in illos esse videbantur: quippe quorum subditos vicinia illius turbæ impatientiores laborum & servitutis reddebat, ferocissimo quoq; isthic solutis moribus, victu facili, perq; sangvinem & decus quæsito ævum agere malente, quàm domi ingemiscere glebæ, & annum, flagraq; expectare herilia, aut onera exactionum ferre. Subinde & Turca solicitatæ per ipsos pacis accusabat Poloniam; arma contra minans, nisi istos Rex exscinderet aut cohiberet. Et ad Chotimense bellum eâ maximè causâ

Cosacorum religio.

Ii nobilibus exosi.

Cosacos Turca incusat.

ſuccenſum ſe ferebat Oſmanes; cùmq; poſtea indomitos armis Polonos, & impigram ad pericula Coſacorum ipſorum virtutem expertus, ad pacis conditiones flexisſet, in his potisſimo loco caveri ſibi voluit, Coſacos à navigatione Boryſthenis, & inprimis Ponti Euxini prohibitum iri. Ex eo tempore accidi iſtorum vires, Polonis multùm annitentibus, cæpêre. Et jugum quidem illi diu & multo ſangvine fuſo, propulſare primò, mox & ſuſceptum excutere, aliis ſubinde atq; aliis Ducibus, ut alibi narrabitur, tentârunt. Sed tandem ubi à Stanislao Conjecpolſcio, & Nicolao Potocio, fortisſimis viris, ad Caucovum, Pereoslaviam, Starcum, & Cumeicum, memorabiles pasſi eſſent clades, inde ad humilioris obſequii patientiam redacti ſunt. Porroq; eos Boryſthene, firmatâ ad primos hujus ſcopulos arce Codacanâ, dein ab Euxini etiam maris navigatione excluſit Reſpublica, contractoq; eorum in ſex millia numero, novis, ſed quæ ipſis iniquæ videbantur, legibus, reliquæ ſuæ militiæ innexuit, diſtributis ad vitam tolerandam agris, & cuſtodibus ex Nobilitate Polonâ additis, quorum ſub nutu agerent, imperio Ducum Poloniæ audientes, & ad ſubita necesſitatum publicarum parati. Poſt tranſactionem Anno

Coſaci refrænati.

M DC

M DC XXXVIII. factam, satis quidem illi quieti & in officio mansêre: aliquando tamen non eo loco, quem viri militares mererentur, se haberi querentes, intra animum verò haud dubiè ad libertatem amissam suspirantes, & occasionibus intenti. Transactioni illi inter alios Bohdan⁹ (quod nomen Sarmaticum Theodatum interpretari possis) Chmelnicius interfuit: Nuntius tùm etiam, cum binis aliis, ad Comitia ejus anni à Cosacis missus, cætera non ultra Centurionis adhuc dignitatem, cui postea Scribæ Castrensis munus accessit, in legione Czeherinensi progressus. Sed ultra sapiens, & ut ex eventu didicimus, flagellandæ Poloniæ, fatorum dispositu, & ab ingenio nimis quàm idoneus. Animi equidem callidi & versatilis insitam vim, usus postea rerum, tùm Turcicæ Tartaricæq; , ac rarior deniq; inter Cosacos Latinæ lingvæ, nec non Reipupl. Polonæ peritia, jamdudùm ad nova ausa acuerat. Unde & multis antè annis suspectatus fuit Duci exercituum Conjecpolscio. Et Rex ipse Vladislaus, cùm de bello in Orientem suscipiendo deliberatio incidisset, non alium exercituî Cosacorum, quem ad 12000. protendere decreverat, regundo, judicavit aptiorem. Sed quibus ille stimulis actus, præter

Chmelnicii initia.

Chmelnicium suspectat Conjecpolcius senior.

præter ſpem & judicia omnium, ungves aliò deſtinatos, maternis Reipubl. Polonæ viſceribus impresſerit, jam memorandum eſt; quolibet legentium haud dubiè cum admiratione expenſuro, quàm parvâ ex ſcintillâ ingens incendium oriri posſit, ubi ea in materiam capeſſendo igni maturam atq; idoneam inciderit. Non lubet verò nunc ingentem flagitiorum licentiam perſequi, quæ diſcinctis longiori pace moribus, effrenatiùs per Poloniam graſſata eſt.

Cauſæ remotiores ſeditionis noviſſimæ.

Princeps haud dubiè cauſa, ob quam iratum Numen, inflicto tam gravi flagello, antiquæ virtutis & gloriæ luxuriantem, & ſui penè oblitam terram admonere voluit. Neque occultas, cauſarum, quibus quidam in tam ardua cæpta impulſum ferunt primũ ſeditionis authorem, operosè nunc referam, quippe incertas & nonniſi ſuſpicionibus, quibus non lubens adſperſerim Hiſtoriam, innixas. Sufficit meminisſe, quod ante jam innuimus, licentiæ asſvetum, & non jugi tantùm, ſed & regiminis malè patientem populum asſiduò veſtigâsſe, quà iſta imperii ſeverioris velut cuſtodiâ elaberetur.

Religionis ſtimulus.

Nec defuisſe, qui occultè illis perſvaderent, ſuæ, id eſt, Græcæ religionis, ſub alieno dominio gemiſcentis vindicias haud aliunde quàm à virtute Coſacorum expectandas.

ctandas. Iſta clam agitantibus pergratum accidit, Regem Vladislaum bellum meditari, cujus præcipuum inſtrumentum Coſacorum exercitus futurus eſſet, augeri ideò juſſus aliquot millium capitum acceſsione. Bella hæc occaſio fore videbatur, armandi in Rusſiâ plurimos, qui nunc ſegnitie vel ingloriis laboribus ævum tererent.. Simul exercitus Coſacorum hac occaſione & numero validior, & operibus bellicis ſpectatior redditus, datâ opportunitate, aſſerendæ & ſuæ & omnis Rusſicæ gentis libertatis, eximiè aliquando arma ſua impendere poſſe credebatur. Sed malum hoc ſemel exorſum multæ deinde res longè lateq; provexêre, in ipſo Hiſtoriæ hujus contextu, cuivis facilè & ultrò animadvertendæ. Interquas non immeritò Coloniarum in extrema camporum deſerta recens deductarum frequentiam numeraverim. In has, per datæ in annos aliquot libertatis invitamenta, ingens hominum turba, ac propè dixerim, ſentina confluxit. Ferè enim illò, ex aliis Rusſiæ Poloniæve partibus ferocisſimus quisq; multi etiam, qui bonis ſuis adeſis, aut ſcelere commisſo, famemfunemve alibi timerent, ſe receperant; omnesq; aut armati veniebant, aut iſtîc armabantur, quò ſcilicet adverſus Tartarorũ vim &

Coſacorum exercitus augeri à Rege jubetur.

Coloniarum novarum numerus ſeditioſis eſt adjumento.

vim & insidias se & oppida sua levi opere munita, tueri possent. Illi enim Scythici prædones subitis assultationibus adeò omnia istîc infesta reddiderant, ut vix nisi gregatim armatiq; oppidani ad curanda necessaria progredi auderent. Hos verò alioqnin soli, ingenio suo uberrimi, fæcunditas, victu facili, laborum securos vitâq; solutiores, reddebat: adeò ut compotationibus plerumq; tempus tererent, de se familiâve parùm soliciti, onerum herilium immunes, tantoq; adeò impotentiùs felicitatem suam ferentes, quod in servitute nati libertate corrumpebantur. Adhæc, Nobilitatis proceres ex plebe illâ rusticâ robustissimos & agillimos quosq;, in custodiam corporis sui, & ad casuum periculorumq; fortuita, sæpè etiam ad pompam magis selegerant. Qui more militari pedem referre, servare ordinem, arma arte tractare, à Germano aliquo Ductore eruditi, habitu insuper externo, veros Germanorum Dimachas, vulgò Dragones, cùm gente Russi, religione Græci essent, mentiebantur. Genus hoc militis placebat plurimis, ob compendium sumptuum, & quod domi videbatur jam haberi, qui hactenùs alibi fuisset quærendus. Nec minùs Coloniæ (de quibus paulò ante) privatim publiceq; utiles censeben-

Russi agrestes in satellitium Nobiliū adsciti arma tractare discunt.

censebantur erantq; reverà. Sed ut optimè cogitata, facile in perniciem hominibus, irâ fatorum urgente, vertunt; ita utrumq; hoc destinatum Reipubl. universæ, pessimè, ut in progressu Historiæ patebit, cecidit; futurum sanè memorabile in omnem posteritatem documentum, non esse facilè armandam multitudinem, illam præsertim, quæ causam vel habet, vel habere sibi videtur, cur fortunam suam mutatam velit. Nam profectò, ubi illa vires suas circumspicere atq; intelligere cœperit, spe impunitatis mordebit frena, &, Duce oblato quæsitove Dominis suis rebellare, quàm parere malet. Cæterùm, quicquid hactenùs causarum refero, ignis fuit sub cineribus latens, quem in apertum demum oblatæ occasiones prolicuêre. Has verò ipse ille Chmelnicius in literis, ad Nicolaum Potocium, Castellanum Cracoviensem & Ducem exercituum scriptis, promit, haud dubiè aliqua in majus augens, ut solet quisq;, quantum potest, calamitates suas facundè queri. Interim vera multa sub esse, omnes, quorum non interest in diversa niti, fatentur. Præcipuè verò in iis Czaplinscium Czeherinensis territorii subpræfectum incusat, primumq; stimulum ad nova molienda sibi fuisse refert. Cum quo tali ratione

Offensæ Chmelnicii.

Czaplinski subpræfectus infestus Chmelincio.

tione ortum ei jurgium, & posteà inimicitia fuit. Possidebat Chmelnicius in eodem Czeherinensi territorio agrum à Patre suo acceptum. Qui gente Lithvanus, ortu, ut ferunt, Nobilis, cùm nomen militiæ Cosacorum dedisset, unde unicè, ductâ etiam uxore Ruthenâ, vitam sustentaverat more istius generis militum, quibus aliud stipendium non dabatur. Sed post Patrem ad Czecoram captum, & in Turciam abductum, filius ex Tartarorum vinculis à Matre redemptus ruris paterni limites latiùs extendere cæperat, licitum id videns usitatumq; in terrâ, non adeò tum refertâ incolis, & Scythicis populationibus plurimùm infestâ. Posteà verò, cùm Duces exercituum, cohibitis Tartaris, habitandi securitatem longiùs promovissent, plures affluere cultores, atq; inde agrornm limites curiosiùs arctiusq; haberi cæpêre, Polonis, Magnatumq; inprimis ministris sedes hîc sibi, quà commoditas placuisset, firmantibus. Inter alios Czaplinscius ille, quem nominavi, fundum ibidem à Stanislao Conjecpolscio, Castellano olim Cracoviensi & magno exercituum Duce, impetratum, conquisitis haud segni curâ operis, excolebat: eo faciliore successu, quia cùm territorii Sub-Præfectus esset, omnia sibi habebat proniora,

niora. Inde cupiditas crevit ampliandi posſeſſionem: & quod Chmelnicius plus aliis tenere iſtîc videretur, eum parte agri, quam nullo liquido jure, ſed ut vacuam ille occupâsſet, impetrato à Præfecto territorii conſenſu, exuit, ex aliâ etiam quâdam interioris, ut ferunt, admisſionis familiaritate homini infenſus. Coſacus aliquamdiu contrà nitebatur, preces, minas, atq; etiam literas, non à ſummo tantùm exercituum Duce Potocio, Conjecpolſcii defuncti ſucceſſore, ſed à Rege ipſo Vladislao IV. opponens. Sed fruſtra fuit: quippe cedere agro & in compenſationem damni quinquaginta florenos accipere juſſus eſt; Multa hinc inter illos lis, & ut apud infenſos ſolet, dicta & facta omnia adverſa. Sed acceptis damnis acerbior contemptus Chmelnicio fuit, cùm & publicè in foro filium ſuum, juſſu Czaplinſcii verberatum, & per ſpeciem tributi equum ſibi ademptum intellexerat. Accidit in ſuper, ut ſtrepente de Tartaris Czeherino imminentibus rumore, vitæ periculum Chmelnicius incurreret. Nam cùm copiarum militarium proximæ obviā procurrisſent, intermixtus iis Chmielnicius à ſocii militis frameâ ictum accepit, quem niſi galea non penitùs dirupta repreſſisſet, lethalem ſibi futurum fuisſe;

Chmielnicius exuitur fundo.

C ait

ait ipſe in literis ſuis. Miles ille Tartarum ſibi creditum, in quem incurreret, obtendit. Chmielnicius aliis incentoribus ſtructum facinus credebat, jamdudùm ante inſida ſibi omnia & undiq; tendi inſidias, carceremq; aut necem imminere ratus. Ac ſanè unus ex ipſis etiam Coſacorum Tribunis, Romanus Peſta, incertum an contrariæ factionis ſtudio, an ut magnis auſibus parem deſtinatumve ſuſpectans, multa ei ſiniſtra ante hàc & objecerat, & minatus erat: cui etiam Proceres quidam aures præbere, & in Chmielnicium indies obliquiores eſſe cœpêre. Unde in carcerem compingi illum Dux exercituum jusſerat, quod inprimis ſiniſtra conſilia in Vexilliferum Regni Conjecpolſcium è Tartarorum tùm finibus multâ cum prædâ revertentem, injerat cum aliis Zaporovianis. Præcluſo enim reditu intercipere illum meditatus fuisſe dicebatur. Sed è carcere hominem, Stanislai Krzycevii Nobilis Lithvani, legionis Czeherinenſis, ad quam Chmielnicius etiam pertinebat, Præfecti interpoſita fides liberavit, magno & Reipubl. & Krzycevii ipſius, ut poſteà patebit, malo. Chmelnicium iſtæ, ut ipſe interpretabatur, injuriæ ac contumeliæ eò penitiùs urebant, quòd, ut ante innui, non ita dudùm benignũ Aulæ in ſe vultum animumq;

Incuſatur malarum molitionum.

Chmelnicius captivus liberatur à Krzycevio.

mumq; Vassaviæ cognoverat, ubi ad belli in non nominandum hostem movendi secretum erat admissus. Quinimò posteà Rege mortuo, jactâsse is fertur, sibi cum injurias suas & neglecta, de satisfactione, jussa Regia quereretur, ostensum à Principe, quem gestabat, gladium. Quod deinde inter Nobiles sparsum, prout quisq; Aulæ consiliis æquus vel adversus esset, ita fidem & judicia reperit. Quicquid sit, favori Aulico malè fisus ille, non erga adversarios tantùm suos pertinacior fuit, sed & privata, quæ accepisse videbatur, damna & contumelias vel summo terrarum malo ulcisci statuit: audacius consiliis suis ipsâ blandiens specie necessitatis, cujus durissimo scilicet telo ad extrema omnia urgeretur. Sed haud dubiè præter necessitatem occultis ambitionis stimulis ad novam in turbido quærendam fortunam excitabatur. Itaq; infandam ordiri telam moliens, in locum florentibus æquè & laborantibus Cosacis usitatum, insulas nempe Zaporovianas, quarum situm ante memoravimus, ingruente jam hyeme, profugit paucis Comitatus. Sed multos pòst exemplo & spe simili eódem traxit, à nonnullis etiam, rerum præsentium fastidio, jam dudùm Chmielnicium ad pessima quæq; stimulantibus, &

Chmielnicius favore Regis abutitur.

Chmielnicius in insulas Zaporovianas fugit.

mox consilia ac fortunam sociantibus, præventus est. Brevi certè tempore adeò excrevit profugorum numerus, ut motæ in illos, jussu summi Ducis, velut in excubias ordinarias, aliquot Cosacorum, tum adhuc fidelium, cohortes, nullâ re effectâ, & majore accepto, quàm dato damno recesserint. Primus hic actus hostilitatis fuit, sed post hunc quoq; tàm causæ, quàm viribus malè fidens, ac calliditate moram rebus suis stabiliendis quærens Chmielnicius, & qui cum eo erant, armorum necessitatem deprecabantur. Certè literæ eorum ad militiæ Ducem Potocium, post hunc primum congressum scriptæ, multam modestiam præferunt. *Non se*, ajunt, *ullâ licentiæ aut novarum rerum cupidine, sed gravissimis injuriis, depeculationibus contumeliis actos, relictis rebus suis, in asperas istas, & in-hospitas insulas secessisse. Nimium scilicet & intolerabile fuisse, quod in ipsos sibi non Præfecti tantùm, sed & Judæi, spretissima alibi per Poloniam natio, permiserint. Frustrà avaritiæ & crudelitati istorum non tantùm Ducis exercituum, sed & Regis authoritatem oppositam. Nec in Tribunis suis sibi quidquam præsidii relictum, qui potentium libidini assentando suas augeant res, miserari cæteri gregis sortem nesciant. Et jam in cædem vel supplicium misero-*

Repellit missas à Potocio copias.

Excusant primam hostilitatem Cosaci.

Cosacorum querelæ.

miserorum nimiùm properos accurrisse, sed à Numine sæva molientibus haud propitio necessariâq; honestè se tuentium virtute repulsos. Æquum esse ut ab iniquitate malè dominantium inposterum immunes, Regiis privilegiis fruantur, qui Regiæ voluntati & usui Reipubl. se & sua omnia consecrârint. Excusant eædem literæ Chmielnicium, *concitæ seditionis malè accusatum ferentes, quem pariter nihil aliud, quàm infestæ machinationes, calumniæq; inimicorum, inprimis Romani Pestæ, qui olim seditionis autor, eâdem maculâ nunc innocentes polluere velit, lare suo expulerint.* Majore specie quàm fide composita videbatur epistola Potocio, non jam verba profugorum, sed ausa reputanti: nihilominùs Duce amoto, reliquis consilium animumq; defore existimans, Chmielnicio plenam omnium hactenùs factorum impunitatem pollicitus, persvadere conatur, ut relictis Zaporovianis suffugiis, ad se veniret. Sed is tergiversans primùm, mox ceteris acerrimè disſvadentibus, venturum se penitûs negat. Hinc iratior Potocius, & nihil jam boni sibi de istis pollicens, memor deniq;, quibus difficultatibus & periculis, ante annos aliquot, ferocem illam hydram perdomuisset, jam novis capitibus repullulantem, properè & modis omnibus compri-

Chmelnicium vocat ad se Potocius.

Potocius in Chmelnicium decernit bellum.

comprimendam arbitrabatur. Sed erant alii, qui mollibus adhúc consiliis, & potiùs prudentiâ, quàm vi cum isto hoste agendum censerent. Inter quos accipio non Adamum tantùm Kisielum fuisse, Palatinum tùm Braclaviensem, posteà Kioviensem, gente & religione Ruthenum, ingenio, facundiâ, & multiplici virtute ad summa inter Polonos enisum: sed & Stanislaum Lubomierscium, Palatinum Cracoviensem, virum sago togâq; præluſtrem, & rebus gestis authoritatem in Poloniâ maximam adeptum, eandemq; tùm adhùc, etsi fessâ annis morbisq; ætate servantem. At exercituum Duci utriq;, inprimis Majori, spreta sua à Cosacis imperia, & Chmielnicii ad eos venire recusantis obstinatio, simùl contagionis ab iudulgentiâ vires acquisituræ metus, aspera remedia lenibus ante habenda esse persvasêre. Ac per hyemem quidem, cùm aggredi illos intra septa sua atq; avia illa locorum latentes, nequirent, observandis præpediendisq; eminùs eorum molitionibus intenti egerunt. Dimissæ etiam tandem à Potocio Duce literæ, quibus edicebatur; *Chmielnicii ut societatem omnes fugiant deserantve; si contrà fecerint, in uxoribus, liberis, & fortunis relictis pænam luituros.* Nec Chmielnicius interim ferieba-

Disvadet arma Kisielus & Lubomirscius.

Chmielnicius proscribitur.

feriabatur, & tametſi plurimis ad ſocietatem facinoris indies ſpontè affluentibus, vel illectis, creſcerent vires ejus: his tamen adhuc parùm fidens, Tartaros in camporum deſertorum ſolitudinibus hybernantes, ad opem ſibi ferendam invitat, & oſtentatâ multâ ſpe prædæ, eſcâ ſcilicet barbaræ genti gratisſimâ, pertrahit. Quos Tohaibegus ducebat Perecopienſis Præfectus, homo animo manuq; acer, turbidus præterea, & Chano Tartarorum Regulo ſubindè refractarius. Unde hic vim illius aliò effundi facilè poſtea patiebatur, in Polonos præcipuè, quibus ob negatum ſolenne ſtipendium dudùm jam erat infenſus. Ferunt & perenne fædus, in utriusq; fortunæ conſortium, inter illos & Chmielnicium, tùm ſtatim pactum, filiumq; Chmielnicii iſthîc pro obſide relictum. Sed quia in his libris crebra admodùm Tartarorum mentio incidit, non alienum videtur, gentem, aliquando nobis ſociam, ſæpius hoſtem paulò curatiùs memorare. Ipſum vocabulum dubiæ quodammodò & originis & antiquitatis eſt. Neq; liquet ſatis, Tartarosne an Tattaros dicere conveniat: Priorem tamen nomenclationem Scriptorum conſenſus uſitatiorem fecit. Sic enim omnes ferè recentiorum ſeculorum Geographi & Hiſto-

Chmielnicius ad Tartaros confugit.

Tartarorum gens deſcribitur.

rici appellant. Alteram præfert lingva Slavonica,ut & Sinica, quæ R nunquam usurpat: eandemq; mavult Leonclavius, diligens Turcicarum hisq; affinium rerum conditor. Et is amnem Scythicum, à quo nomen gentis derivandum pleriq; censent, Tattarum appellatum existimat. Alii vocem ex Syriaco Tottarim deducunt: quod multorum interpretatione *relictos* significat. Hiq; Tartaros Israëlitarum in Mediam deportatorum reliquias esse volunt. At alii his contrarii, voce Syriacâ *redundantiam* potiùs signari asserunt: sicq; nomine ipso amplitudinem,& quasi superfluitatem gentis Tartaricæ innui arbitrantur. In priscis Autoribus nullius populi appellationem Tartaricæ propiorem reperio, quàm Tractarorum, quos inter Tauricæ incolas ponit Plinius. Quam Provinciam, cùm hodie Tartari incolant, non difficulter forsan quispiam ipsâ affinitate vocabuli induci se patiatur, ut credat, jam olim cum his Tractaris Tartaros per Asiæ extrema tùm diffusos, commune aliquid habuisse. Sed rem adeò obscuram anxie hîc scrutari, intempestivum, definire, temerarium, opinor, fuerit. Sufficit scire, de quo utiq; liquidò constat, gentem hanc si minùs appellatione propriâ antiquitùs fuit cognita, certè intra

Crisis circa nomen.

Scythici

Scythici complexum nominis latuisse. Eo vetustas, præsertim Græca, signare solebat, quicquid populorum in semotiore recessu Septentrionis ad Solem tamen Orientem vergentis recondiderat Natura. Interim, quos ignorantia aut incuria confudit, genere & moribus longè dispares fuisse patuit posteà, cùm singulos, procedente tempore, seu bella, seu commercia, & necessitudines Orbi cultiori apperuêre. Cæterùm Scytharum nomen cæteri omnes tandem populi, unà cum priscâ barbarie exuerunt. Solis hodie Tartaris id relictum videtur. Ita ut quoties Scytham nominamus, Tartarum velimus intelligi. Non quod alii ejusdem originis populi desint, cùm Turcæ, Parthi, Persæ, & alii multi eadem stirpe censeantur: sed, ut opinor, ob veterem Scytharum vitam erraticam, atq; equis præcipuè pascendis ac prædæ intentam, quam à cæteris Scythis jamdudùm ferè repudiatam, Tartari visi sunt retinere: Diversis simul pascentium gregibus, vulgò Hordis, longè lateq; dispersi. Postquam verò & ipsi ita in immensum crevêre, nonnulli eorum grandi illo numero, tùm asperâ belli virtute alios subegêre populos: Potentia, acceptumq; in cultiores gentes imperium, vagæ & pastoritiæ vitæ neglectum

his quoq; afferre cæpit. Vastisſimi in Asiâ extremâ dominatûs ſunt, quos Mogul & Chanus tenent, uterq; ob potentiam Magnus appellatus. Quorum ille à Tamerlane ſangvinis ſui Regniq; primordia habet: & opulentiâ Reges omnes hodie dicitur ſuperare. Alterius imperio maximum olim nomen peperit Cangius, ſeu Cingis Chan, rebus geſtis & legibus in illo Oriente celebratisſimus. Alter ab illo Okotai (& aliis Hocot dictus) patrium dominatum magis firmavit: cùmq; plures filios haberet, unus eorum Baito accepto à Patre exercitu, multis Aſiæ Europæq; populis ſe formidabilem fecit. Nam & Turcorum, obſcurioris tum populi vires ſurgentes attrivit, & Ponti, paludisq; Mæotidos accolas, atq; inter eos potisſimùm Polovcos adortus eſt. Quibus domitis, Rusſiam propè totam, torrentis inſtar, corripuit inundavitq;. Mox & copiis diviſis partem in Bulgariam & Pannonias, alteram in Poloniam miſit; cujus terras eò licentiùs pervagatus eſt, quòd tùm illæ in multos Principatus, eosq; malê concordes, divulſæ, non conſultabant in commune. Dùm enim ſe ſingulæ ſeorſim opponerent, in prædam omnes ceſsêre. Qui præcipuâ autoritate tùm rebus Poloniæ præ erat, Boleslaus Pudicus, tempeſtati, cui impar

Sub Baitone invaſiones Tartarorum.

Vide de his inter alios Peucerum lib. IV. Chronicorum.

impar erat, se subduxit; vix demùm post longi temporis exilium à suis requisitus, & in avitum solium, quòd Conradus Dux Masoviæ interim occupaverat, repositus. Eo tempore in Silesiam quoq; barbara hæc natio trajecit, & patrato istîc apud Lignicium cum Ducibus Provinciæ ferali prælio, ingentem victoriam, atq; in victoriæ monumentum, novem saccos auricularum, quas cadaveribus absciderat, reportavit. Tandem verò omnis hæc multitudo, immanibus spoliis onusta, in Asiæ atq; Europæ confinia rediit. Varieq; dispersa, diversis quasi tribubus, vulgò Hordis, vel veriùs, si magnitudinem spectes, gentibus originem & nomina dedit. Pars ultrà Volgam in Asiâ, alia circa Pontum & Mæotidem paludem, Europæ claustra, firmare sedes cœpit. Præcipuæ autem, & quodammodò Principes omnium Zavolhenses Hordæ diu manserunt, à Volgâ fluvio, seu, ut Russi vocant, Volhâ, cujus ripas longè lateq; accolunt, nomen adeptæ. Eæ posteà cum Turcis, postquam horum se vires sub Ottomannidis erigere cæpissent, diu ambiguâ fortunâ certârunt. Sed & Saracenicis bellis implicitæ sunt, patrocinium Asiæ, contra eam gentem, ipsiusq; religionis Christianæ vindicias aliquandiu professæ. Tandem Duce earum

Zavolhenses Tartari.

earum Tangadoro, in Mahometiſmum delapſo, cum curâ rei Chriſtianæ, gloria quoq; potentiæ extingui cæpit. Quam multò poſt anno 1384, Tamerlanes, vel ut alii vocant Temur Lenk aut Lechus reſuſcitavit, cùm à Samarcādâ Sagathæorum Tartarorum metropoli, obſcuris generis & potentiæ initiis coortus, Aſiam univerſam, & in eâ Turcicum imperium gravisſimè afflixit, quaquà pedem poneret, victor, vereq; orbis & terror & flagellum. Ab eo cæteri Tartari, etſi remotiores, animum & ipſi iterùm ceperunt, vicinis populis tantò ſuperbius inſultandi. Unde cum terræ etiam Kiovienſi ab iis periculum immineret, Vitoldum, Jagellonis Poloniæ Regis Patrueſem, Ducem magni animi cupido incesſit, populum novâ jam famâ ferocem, omnibusq; ferè terribilem, aggrediendi. Primusq; ei conatus ſat proſperè cesſit. Aliquot enim millia Tartarorū cum fæminis & ſobole in Lithvaniam abegit. Alii ſponte ſecutos ferunt, claritudine & promisſis egregii Ducis illectos. Quicquid ſit, libertas utiq; illis, & agri prope Vilnam, Lithvaniæ metropolin, dati ſunt, quos hodieq; eorum poſteritas tenet, Mahometanæ ſuperſtitionis, priſciq; in aliis quibusdam ritûs retinens, attamen manſvetior longè, & honeſto labore, hortenſi

Tamerlanes.

Tartari unde in Lithvaniâ.

tensi inprimis, victitans, sobrietate verò, fideq; , & in curandis negotiis celeritate, Magnatibus Lithvanis, suprà aliud vulgus probata & cara. Verùm altera Vitoldi in Tartaros expeditio, ut operosior mole, ita exitu infelicior fuit. Eduxerat non parvum exercitum, comitantibus multis Lithvaniæ Russiæq; Ducibus, atq; inter alios etiam Andreâ & Demetrio Coributho, Jagellonis Regis fratribus germanis. Complures insupèr ex Proceribus Polonis ardor gloriæ militaris exciverat, ut simùl irent: inter quos Raphael Tarnovius, Ostrorogius, Samotulius, Glovacius, Dambrovius, Varsius, Michovius, Socha Plocensis, Spitco Melstinius Cracoviensis Palatinus eminuêre. Cùm ad prælium res devenisset, multitudo Tartarorum prævaluit. Cæsiq; istîc Jagellonis fratres, & alii novē Lithvanici Russiciq; Sanguinis Duces. Periit quoq; Melstinius. Cæteri cum Vitoldo & Svidrigellone, tertio Jagellonis fratre, reliquiisq; exercitûs ægrè evasêre. Tartari Russiam & Lithvaniam longè lateq; pervagati sunt. Sed ante ista Moschis grave admodùm jugum à Zavolhensium Tartarorum Hordis impositum fuit. Adeò ut his illi non infima tantùm venerantium officia, & tributum annuum deferre, sed & Duces sibi ex arbitrio

Clades Vitoldi à Tartaris.

Moschis Tartari graves.

arbitrio eorum ſumere cogerentur. Verùm diviſo poſteà imminutoq; paulatim Tartarorum iſtorum dominatu, præcipua adhuc duorum duntaxat regnorum celebritas aliquamdiu manſit. Quorum utrumq; ab Urbe Principe nomen obtinuit. Alterum Caſan, alterum Aſtracan appellatur. Caſan Civitas ad Volgam, Aſtracan ad oſtium ejusdem fluvii, quá in mare Caſpium ſeu Hyrcanum evolvitur, ſita eſt. Unde hîc frequens ex Moſcoviâ, Perſide, Armeniâ, aliisq; ditionibus Turcicis mercatorum eſt concurſus. Hodie regnorum iſtorum incolæ, extincto Chanorum Zavolhenſium priſtino dominatu & nomine, Moſchis, quibus antè impotenter imperaverant, humili obſequio (præter quosdam identidem adhuc refractarios) ſubſunt, notabili fortunæ vice & exinde flexu animorum. Primus omnium ex Moſcoviæ Ducibus coercere eos cæpit Johannes, vulgò Ivvan, ex rerum geſtarum gloriâ, Magnus appellatus. Inchoatum opus continuavit ejus filius Baſilius, ex Sophiâ Palæologâ natus, qui primus Czari nomen asſumpſit, cùm Deceſſores ejus Duces, vulgò Kniaſi appellati eſſent. Ultimam quaſi manum Johannes Baſilides, Baſilii ex Helenâ Glinſciâ filius, vir armis quidem ſtrenuus, ſed idem tyrannide infamis, impoſuit.

Caſan & Aſtracan.

posuit. Ab hoc utiq; non isti tantùm, sed & alii vicini Tartari, in servitutem redacti sunt. Inter eos Tumenscii, Scibanscii, Reschorenses numerantur, Calmutii item, ita dicti, quod soli capillitium alant. Pars quoq; Nahaisciorum iisdem Moscis subjecta est. Qui à flumine Hayk nomen sortiti, pariter olim propriis Ducibus paruerunt, & avorum adhuc nostrorum memoriâ inter tres fratres, Schidakum, Cossum, & Schichmamaum, dispertitum eorum robur fuit. Sed ipsâ posteà divisione imbecilliores collisiq; æmulationibus, ac bellis internis externisq;, partim Moschorum, partim Crimensis Chani imperio accessêre. Sunt deniq; aliæ Hordæ, nobis & propiores, & per bellorum aut populationum injurias magis cognitæ. Nam qui Moscho parent Tartari, fermè innoxii Poloniæ hactenùs, multò magis alii, qui in Asiâ extremâ, vetus Regnum, à Cangio cæptum, continuant. Hi enim post primorum Chanorum ausa diu, quantum scire possum, quieti vix nisi sub Cobilâ, qui quintus à Cangio Chano fuit, lacertos iterùm movêre. Ejus sanè Principis egregias virtutes & res gestas laudat Marcus Paulus Venetus, diu in aulâ ipsius versatus & benignè habitus. Jam quanta circa annum Christi 400, Sagathaienses

Tartari qui Moscis subjecti.

Asiatici Tartari.

enſes Tartari Duce Tamerlane gesſerint, paulò ante innui veriùs, quàm explicui. Eorum, qui Tamerlanis imperio crevêre, præſtantisſimus ille ſupereſt, qui Magni Moguلis nomen posſidens, triginta ſeptem amplisſimis ditisſimisq; Provinciis imperat, quarum frequentatisſimæ Europæis ſunt Cambaja & Bengala. Noſtro verò ævo iterùm Tartari Aſiatici ſubacto Sinenſium Regno univerſo, obſoletam aliquandiu, & noſtris quidem terris minùs celebratam nominis ſui famam oppidò quàm reſuſcitârunt: nacti & populo Chriſtiano diſertos admodùm ſcriptores, qui novisſimas ipſorum in Regnis Chinæ victorias in literas magnâ curâ facundiaq; misêre. Inter propiores & Ukrainæ ſcilicet finibus perpetuò imminentes Hordas prîma Oczakovienſis eſt. Nomen habet ab arce & oppido Oczakoviâ, quam ab antiquis Axiacen nuncupatam exiſtimat Mercator, alii Olbiam veterum hoc loco poſitam fuisſe arbitrantur. Situm id munimentum eſt ad Boryſthenem, quà is per tot ſcopulorum, inſularumq; ſuperiùs memoratarum remoras delapſus, in Pontum deniq; Euxinum erumpit. Tenetur verò Turcarum præſidio, quod validum hîc ſatis excubare ſolet, cohibendis Coſacorum, per Pontum ſubindè excur-

Oczakovia.

excurrentium, conatibus. Oſtium illud Turcis hodie Dziarcrimenda vocatur, indeq; apud Scytas adſito terræ tractui, quem Mileſii olim multis coloniis implevêre, nomen. Qui variis & lacubus & fluviis interluitur, inter alios Kipczako, à quo paritèr Hordæ Tartarorum, quantumvis exili, appellatio nata. Nec procùl hinc campi glebæ bonitate uberrimi à quibus Dobrucenſes Tartari nomen habent, inter alios Chani Crimenſis titulos, quos ipſe ſibi tribuit, poni ſolitum. Atrociſſima autem Hordarum omnium eſt, quæ mediis inter Kiliam (Achilleam antiquorum, ut videtur) & Bialogrodum ſpatiis inerrat. Urbes hæ ſunt Turcicæ ditionis, alteraq; earum Danubii in Pontum ſe exonerantis oſtio præcipuo, altera verò Tyræ appoſita eſt. Succedanea aut certè vicina Ophiuſæ & Hermonacti veterum. Aliqui & Leucen Inſulam Lycophroni memoratam, & Leuconem Regem Sarmaticum à Strabone memoratū ad hæc loca referunt: tantò fidentiùs fortaſſis ſententiam ſuam tuituri, ſi nomina iſta hodierno, quod lingvâ Sarmaticâ Album Caſtrum notat, ſignificatione affinia eſſe ſciviſſent. Cæterùm interjecta his oſtiis planities duodecim circiter milliarium, Arpiis olim & Tirigetis habitata, hodie Bud-

Kilia Bialogradus Moncaſtro Valachis, Turcis Acgrimen.

Budziacii Tartari. ziak vocatur, incolæ Budziacii: non multorum adeò millium, ſed rapacisſima hominum colluvies, quippe nulli penè imperiò, nullis legibus audiens, ſed præ cæteris fera vagaq;, & in equis aut curribus ferè ævum tranſigens. Hunc tractum quoq; anno 1637. Cantimirus Murza Chano Crimenſi refractarius cum aliis ſimilis ferociæ Murzis habitare cæperat, à Chano tandem apud Kiliam profligatus, jusſuq; Imperatoris Turcici, quod & huic minùs obſequens fuerat, ſtrangulatus.

Enim verò noſtris in terris nulli famoſiores ſunt Tartari Crimenſibus, parte haud poſtremâ eorum, qui olim Battô Duce, magna Europæ Regna inundaverunt. Nam cùm illi hinc tandem reduces, variè deindè per Aſiam ſparſisſent vires, numerus eorum haud exilis Europæ noſtræ, ut dixi, lateribus inhæſit. Præcipuè autem multitudine & pugnacitate illa invaluit Horda, quæ primùm circa Tauricam Cherſoneſum, pòſt & in ipsâ, oppresſis veteribus incolis, Duce Vlano, conſedit. *Tauricæ Cherſoneſi deſcriptio.* Peninſula ea eſt ſita inter Pontum Euxinum, Boſphorum Cimmerium, Mæotidem paludem, & reſtagnantem ex eâ lacum, Straboni, veteri Geographo, Putrem appellatum. Quem à Ponto, verſus Septentrionem noſtrum, exiguus terræ interjectus

terjectus dirimit. Is nisi intercederet, circumfluæ undiq; aquæ in unum mare commissæ insulam fecissent. Et tali situ Provincia hæc Chersonesi nomen obtinuit, quia ab angusto aditu, ceu à tenui carpo manùs, inde in spatium longitudine quàm latitudine majus extenditur. Subvenit porrò industria, quæ propè oppidum, quod fauces istas exiguo vallo, & arce murata custodit, fossam à Meotidis sinu ad Pontum usq; duxit. Oppidum an idem cum Taphris antiquorum sit, haud satis liquet. Equidem Taphras in ipsis Peninsulæ hujus angustiis ponit Plinius & Ptolomæus, alii & Eupatoriam, & Heracleam, & Pompejopolim dictam volunt. Nunc incolis suis Or, Russis verò à fossâ antè nominatâ Perecop dicitur: ductumq; inde nomen toti Provinciæ sedit. Tartaria enim Precopiensis audit; quæ alioquin Tartaris Gazara, vulgò Taurica, à Tauris, seu ut aliàs etiam vocari solent Tauro-Scythis, antiquis cultoribns suis appellata est. Priscis autem temporibus hæc terra ob Ponti & Mæotidos commoditatem, commerciis opportuna, & inde Urbibus frequens fuit. Quarum aliquæ nonnisi ex ruderibus agnoscuntur. Quæ restant, nomina mutârunt, nec cultum opesve veteres habent. Hodie post Perecopiam,

Unde nomen Perecop.

piam, primum terræ munimentum, Coslovia, ſed præcipuè Baluclava & Caffa navigiis adeuntur. Apud Baluclavam (ubi forſan veterum Calus) Claſſi Turcarum ſtatio eſt, commoda admodùm & tuta, quia circumjecti longâ ſerie montes ſinum faciunt tranquillum. *Caffa vetus urbs.* Caffa metropolis Provinciæ, & Præfecti Turcici, quem Seniacum vocant, ſedes. Theodoſia olim dicta, & diu Genuenſium commerciis culta. Poſteà eadem, commiſſo inter Turcas & Tartaros bello, cùm hi ſuccubuisſent, in Mahometis Imperatoris Turcici poteſtatem ceſſit anno Chriſti 1475. ut in annalibus Turcarum annotat Leonclavius. Nunc Turcicis, ſed & multis ſimùl Chriſtianis, Græcis, Armenis Mercatoribus inſidetur, qui captivos à Tartaris emptos Conſtantinopolin, Trapezuntium, Synopen, & in alias Ponto adſitas Urbes mittunt diſtrahuntq;. Verè forum ſervitutis dicere posſis. Cum ibi infinita Chriſtianorum multitudo ad triremes, aliaq; Turcarum vilisſima miniſteria addicatur; magno religionis noſtræ dedecore, quam internæ diſcordiæ, & bella, barbarorum libidini ludibrioq; exponunt Non procùl à Caffâ, Crimenda eſt, oppidum exiguum, Crimum aliàs (etſi Geographi hîc non conſentiunt) vel Cremum dictum, nunc

nunc ob monetam, quæ hîc cuprea cuditur, maximè memorabile. At majorem ejus celebritatem olim fuisse apparet, quippè quod universæ huic terræ & genti nomen dare potuerit. Quanquam si antiquum id nomen, & ex Chiemetopo, quod Tauricæ promontorium à *fronte arietis* dixêre veteres, vel à Cremnis, emporio Mæotidis, de quo Herodotus, deductum quis statuat, haud quaquam repugnaverim. *Crim quale nomen.* Chani Regia hodie Bacisarai vocatur, sumptâ ex Bego & Zerai origine, ut sit quasi arx Præfecti. *Bacisarai Chani sedes.* Non procùl inde Kala est, ubi præcipui ex Christianis captivi detineri solent; *Alma* itidem oppidum, in quo templum Christianorum habetur, S. Joanni dicatum. Sunt & aliæ in propinquo arces, quibus Chani *fratres agnatiq;*, Sultani istîc dicti, habitant. Undiq; accolunt, quos Chanus consiliis aut negotiis familiaribus adhibet, Attalicos appellatos. Tum alii eminentiores Tartari, Murzæ & Ulani ibi nuncupati, alioquin exiguis opibus aut cultu à cæteris distincti. Interspersa passim plebs Tartarica stabulatur, vilibus plerumq; mapalibus, aut tentoriis, alicubi & subterraneis specubus, solis æstum aërisq; asperitates, arcens. Rariùs tamen omne hoc Tartarorum vulgus intra Tauricam manet. Plerumq; oberrat

in campis, qui Tauricæ, quà ea continenti adhæret, prætenduntur, uberiorem nimirùm pabuli copiam quærens. Hæc quippè in Peninsulâ plebi, Septentrionale inprimis latus habitanti, maligniùs suppetit. Omnem enim hanc terram horridi montes mediam quodammodò intersecant. Qui partem unam & meliorem, ubi Caffa est, Austro, alteram steriliorem Aquiloni objiciunt. Propè Bosphorum Cimmerium, olim Panticapeum fuit, emporium omnis hujus Provinciæ frequentissimum, eoq; Geographis veteribus apprimè laudatum. Nunc istam Tauricæ oram, quam Mæotis & Pontus, exili freto transmeant, Arabath, & Chersi, Urbes Turcicæ tuentur. Hîc enim Janizari excubant, arcendæ seditioni, nec non Piratis, qui Mæotidem percursitant, ut & Tanaim fluvium, qui eandem paludem, non adeò procùl hinc, ad Asovum Urbem (Osoph vulgò) ingreditur. Quo fine & ultra Bosphorum Cimmerium, qui hîc Tauricam à Circassis disterminat, Taman & Temruch, Urbes non ignobiles, perpetuâ Turcarum custodiâ tenentur. Circassii verò (quos modò nominabam) vulgò etiam Pettihorienses, voce Slavonicâ, quasi Quinque montani, dicti, fluvii Copæ & Coracis montis accolæ sunt, Colchorum veterum,

Montes Tauricam dividunt.

Circassii Tartari.

Cerce-

Cercetarum item, necnon Lazorum, de quibus Arrianus in periplo Euxini, Procopius, Agatias, aliiq; memorant, successores, & ex parte soboles generosa utiq; & libertatis pertinax. Quanquam Cirassios mari Caspio, Colchos Mengreliosq; Mæotidi & Ponto viciniores in tabulâ suâ lustrator harum terrarum Adamus Olearius V. Cl. facit. Quidam istorum Crimensi Chano parent, sed laxiore obsequio. Multi in iis Christiani sunt, & sacra sua, lingvâ Slavonicâ, ritu Græco peragunt. Sed barbarie & bellis vicinorum, tum commerciis Mahumetanorum & matrimoniis, tum literæ tum religio fermè ibi exolevere. Ad Arabathum, cujus paulò ante facta mentio, ex ipsis quasi Mæotidis aquis prominet exiguus terræ tractus *Kosa* vulgò dictus, in quâ equarum Tartaricarum, Chani inprimis, proletarii greges pascunt. Cogitare licebit curiosis, an Cazeca sit veterum, cujus & Arrianus in periplo facit mentionem. Nomen quidem non multùm abhorret. Cæterùm Tartari isti, post Baidonis, vel Batti, celeberrimi eorum Ducis tempora, variè quidem agitati, diu tamen omnis externi dominii impatientes, Ducibus suis ex regnatrice Zavolhensium Chanorum, aut aliâ domo primariâ, nonnunquam & prout
 libitum,

libitum, aut per tumultum sumptis paruerunt, quos & ipsos deniq; extincto Zavolhensium dominatu, Chanos, voce Scythis usitatâ, quibus Principem seu qualiscunq; ditionis Dominum significant, appellare cæpêre. Illis Turca annuum stipendium, subditi equos, ditiores annonam omnis generis, nonnunquam etiam tributum, sed exile pendunt. Multo autem jam tempore Gierejorum familia rerum hîc regimen habet, viris militiâ præstantibus dudùm conspicuis. In iis Mahmet-Gierei fuit, qui Moschorum Ducem Basilium, ut Baro Herbersteinius narrat metropoli suâ, & penè toto Principatu expulit, fratremq; suum Saph-Gierejum Regem fecit Cazanensium. Illius Mahmet-Giereji successor Mengli-Giereus, præcipuam Tartarorum, qui Europæ viciniores egêre, gloriam ad Tauricanos transtulit: victo Schachmate æmulo, qui tùm Zavolhensium Tartarorum partem à Moschorum imperio liberam regebat, Alexandri Poloniæ Regis contra Tauricanos amicitiam parùm feliciter amplexus. Eadem Gierejorum familia Turcicis Imperatoribus affinitate jam solim innexa est: quippe de quâ (ut alia vincula taceam) Selymus uxorem habuit, Solymanni magni olim Europæ terroris matrem. Verùm

Tartarorum regimẽ.

Turcis

Turcis jam omnis hæc Tartaria, unâ cum Chanis ſuis, amiſsâ veteri libertate, tributaria eſt. Nam Auſtralem Tauricæ partem atq; in eâ Caffam jam altero abhinc Seculo Mahumetes, ut dixi, occupavit. Borealem Oſmanus Basſa ex bello Perſico per Circasſios & Pontum Euxinum redux corripuit; eò faciliùs, quod ortâ inter Princips Tartaricos diſcordiâ, præcipuus eorum Turcici Imperatoris auxilium imploravit. Nam, ut ſolet plerumq; populis potentiorum ſocietas in ſervitutem vertere, Turca ad hunc modum ex ſocio Dominus factus, terram hanc omnem in Provinciam ſeculo ſuperiore redegit. Exindè tributum à totâ gente, captivos præcipuè, in ſignum ſubjectionis: filios verò vel fratres Chanorum obſequii & fidei, pignora accipit: ſed & ipſe vicisſim certa velut ſalaria tùm Chano, tùm Præfecto militiæ, qui Galga illis vocatur, aliisq; nobilium perſolvit, hoc quaſi autoramento fideliores ſibi credens, quos habeat ſtipendiarios. Corpore Tartari (de propioribus maximè loquor) mediocris ſtaturæ, ſed toroſi & robuſti ſunt. Oculis nigris plerumq; & protuberantibus, vividis ſimùl & acutùm cernentibus. Facies lata, fuſci coloris, capillitium nigerrimum, barba ut plurimùm rariuſcula. Occipitium *Corporũ habitus.*

Sarmatico more tondent, parte anteriore comati. Literarûm ferè rudes, cæteri etiam cultûs, qualis inter opulentos populos obtinet, & in luxum ſubinde abit, expertes ante hac fuêre. Artes regnandi nonniſi à naturali judicio & uſu magiſtro habent: ſimplicitate legum & fide pactorum multis aliis populis ſuperiores. Inter ſe porrò mites ac compoſiti, in peregrinos etiam mercatores non inhoſpitales ſunt. Plerumq; enim, cùm quis talis obvenit, conquirere ex omni viciniâ ſolent, quicquid haberi poteſt gratiorum epularum, cùm uſitatas ipſis delicias ab aliis faſtidiri non ignorent.

Judicia. Injuriæ & lites ſeu ex ſimplice populi genio, ſeu ob paupertatem rariores ibi, quàm uſquā alibi, ſi ortæ, ſine longis ambagibus, & comperendinationibus, à Præfectis, quos Begos appellant, graviores à Chanis ipſis dirimuntur.

Religio. Deum ex Mahometi impoſtoris præſcripto colunt, ſimulacra omnia in templis abhorrentes, & ſuillâ aliisq; nonnullis cibis, Judæorum more, abſtinentes, quos & circumcidendi præputii ritu imitantur. Neq; circa alia levicula iis cedunt ſuperſtitione: uti nec odio in Chriſtianos, quod in ſegni Judæorum turbâ inerme, hîc bellicoſitate gentis in damna noſtra atrociſſimè identi-

identidem desævit. Accedit noxia persvasio, quod paganos & idololatras nos putant. Et ideò Gauros vocant, suâq; in nos crudelitate placent sibi, tanquam in gentiles vel atheos exercitâ. Educatio adolescentiæ rigidissima hîc est, non insitâ tantùm feritate, sed ex proposito etiam, ut corpora ad laborum & belli aspera durentur. Infantes suos matres olim frigidâ lavare solitæ, eâq; salsâ, quò cutis densetur, eoq; minùs posteà flumina abhorreat, quæ prædator populus hyeme etiam, cum glacies abest, transnatare solet. Pueri in curru sub pellibus, & ut plurimùm sub dio agitant, nec cibi iis antiquis moribus præbiti, nisi quos sagittâ prius tetigissent: ut sic brachia ad certos jaculorum ictus à primâ ætate assvescerent. Vestitus omnibus usq; ad postrema hæc bella fuit simplicissimus. Panno vix nisi nobiliores, serico velabantur Reguli, & qui eos sanguine contingunt. Quibus ideò vestes ejusmodi inter potissima dona ab aliis Principibus, præsertim Polonis, mittebantur. Vulgus rhenone plerumq; tegitur, quo ex pelle ovinâ consuto, quovis aëre utuntur. Sed hyeme lanuginem villosam corpori obvertunt; eadem, æstate, soli & pluviæ objicitur. Et hirsutie istâ tantò magis terrent obvios, cum prædatum,

Educatio.

Vestitus.

Arma. datum, aut ad pugnam procesſêre. Arma hactenùs non alia ferè habent, quàm gladium incurvum, arcum & pharetram. Familiaria præterea inſtrumenta, cultrum & ſubulam, quibus ſcuticas & vincula ex coriis parant, ligandis, quos venantur, hominibus. Sclopos, aliaq; tela ignita non adhibent, & ab aliis adhibita non parùm formidant. Ipſi, cùm cominùs pugnandi occaſio aut placuit, aut effugi non poteſt, acinaces magnâ agilitate rotant, eminùs ſagittas jaculantur, etiam in fugâ. In quam proni illi, eoq; magis invicti ſunt, quia fugientes nemo facilè asſequitur, & qui ſequi audent, facilè ſeu jaculis, ſeu ſubito fugientium reditu obruuntur. Maxima eorum *Equi Tartarici.* fiducia & potisſimum robur in equis eſt. Quos velocitate potiùs, & laborum tolerantiâ, quàm formâ conſpicuos habent. Et his illi nares, incisâ utrinq; cartilagine, laxant, ut tântò ampliore meatu aërem hauriant, tardiusq; adeò fatiſcant in curſu. Eosdem exercitatione obſequentisſimos ſibi reddunt, ita ut levi freno quamvis in partem facillimè circumagantur. Cùmq; in expeditione plures tales ſecum ſinguli ducant, ubi is, cui inſident, fatigatus eſt, alterum ponè comitantem, medio in curſu, etiam citatisſimo, inſiliunt. Interim nihilominùs

ominùs lasſus ille, quantumvis ilia ducens, hæret lateri, & quoties opus, ſesſorem recipit. Ex equis porrò præcipuum gentis alimentum eſt. Pane non cibantur, niſi ditiores, & qui in oppidis paulò cultiori vitæ asſvevêre; ubi & ovillæ aliarumq; carnium uſus eſt; creberrimus milii, hordei, ereſymi, quod alioquin frumentum Saracenicum, Rusſis Grika & Pohanka, Polonis Tatarka vocatur; ducto ab hac ipsâ gente nomine, quia id legumen hîc magnâ copiâ, penè & ultrò, labente in terram ſemine maturo provenit. Neq; enim agrum Tartari, niſi rari, & ferè tantùm per captivos colunt; tenujores victum merentur nobilioribus miniſtrando: omnes prædâ & ſanguine, quàm ſudore victum parare malunt: ſuprà modum laborioſi, ubi in hoſticum excurrunt, domi & arma & ferociam deponunt, ad torporem uſq; deſides. Acceptisſimus iis cibus veteri conſvetudine (quanquam nunc noſtris etiam lauticiis locus hîc esſe incipit) caro equina eſt. Hanc maluêre hactenùs, quàm bubulam aut ovillam. Nam vervecina hîc penitùs inuſitata eſt, quia caſtrandi modus ignoratur. Vivos autem equos, qui antiquis moribus vivunt, & inprimis pauperiores non mactant, niſi cum morbo aliquis aut labore elanguit.

Alimenta Tartarorũ.

Caro equina.

Huic

Huic cùm juguli venas inciderunt, sangvinem exceptum farinâ miscent, botulosq; parant, qui ipsis deindè pro cupediis sunt. Truncum in quatuor partes dissecant, quarum unam equi dominus sibi servat, reliquas vicinis aut sodalibus distribuit, vicem liberalitatis ab iisdem recepturus, ubi paritèr necessitas illis venerit jumentum suum jugulandi. Singuli quod in quadrante suo carnosum est, in offellas dividunt. (*a*) Quas ubi mandere volunt, equi dorso imponunt, atq; ephippium carni superinjectum cingulo quàm fortissimè adducunt.(*b*)Ipsi deniq; conscendunt, atq; ita dapi suæ horas tres vel quatuor inequitant. Posteà dempto ephippio, palato ipsorum, quâ parte equo incubuit, satis coctam vertunt, ut pars altera calore equi paritèr maturetur. Cui porrò, ne siccescat nimiùm, demptam equi spumam digito allinunt. Iterùm mox ephippium, & sese injiciunt equo, horisq; aliquot insidentes provehuntur. Posteà carnem, ut ab equi dorso fumat, magnâ cum aviditate vorant. Quod præter hæc carnis pulpa-

Modus equinã ad cibum parandi.

(*a*) *Præter alios ita rem refert Beauplanius Gallus libello novissimè edito.*

(*b*) *Sed nunc istum morem exolescere accipio, transeunte paulatim barbarie priscâ in alium vitæ modum.*

pulpamenta osseum de trunco superest, si otium datur, in aquâ elixant, pauco sale addito. Cujus nonnisi permodicum usum probant, eò quod parciorem ejus copiam habent, forte & quia persvasi sunt oculorum aciem integriorem sic servari. Minimè autem bullienti huic cibo spumam demunt, quia, quod in carnibus succi & saporis optimi sit, nostrâ despumandi diligentiâ ejici putant. Sitim vulgus aquâ ut plurimum levat. Sed nec ista ubiq; in promptu, præsertim inter mediis Provinciæ jugis, quæ ariditate squalent. Neq; puteos fodit pigra gentis barbaries. Hyeme nives liquefactas bibunt. Honestiores potum sibi ex milio cocto parant, qui spissitudine & colore lac refert, largiùs tamen sumptus caput forti vapore replet inebriatq;. Gratissimùm verò stomachi solatium ex lacte, potissimûm equino, petitur. Eo se quoq; reficiunt, cùm campos desertos pervolitant, in quibus nulla aut rara aquæ copia. Vino, ex lege Mahometis abstinent, aut furtim utuntur, non item liquore, qui destillatione ex siligine, omni vino potentior, elicitur. Sed is, quia aliundè & difficulter habetur, carò venit. Isto, qualem descripsi, vivendi ritu duravit gens illa insitam barbariem, efferavitq; semper adversum cul- *Potus.*

tiores

Eorum excurrendi modus. tiores populos. Quorum crebrâ depopulatione unicas ſibi delicias & opes parat. Ipſa vix impetitur, quia & aquis undiq; ambientibus, & Turcarum patrocinio protegitur. Solitudinum porrò interjectu ab aliis gentibus ſemota eſt, pauper deniq; & fugax, juſtiq; belli ignara. Hæ res oppugnare volentibus ingratam dubiamq; faciunt certandi aleam. Alioquin in belli pretium, quod exſpoliis nudisſimæ gentis aliud penè nullum eſt, vel ſpes ipſa ſecuritatis ſuffecerit, quâ Rusſicæ nunc terræ in altisſimâ etiam pace frui nequeunt. Has quippè prædones iſti, quoties aula Turcica vel jusſit, vel permiſit (nam inconſultâ illâ nullum niſi in ſolos Moſchos bellum gerere licet Tartaris) uno ſæpè anno, bis terve incurſare ſolent. Cùm verò id moliuntur, primùm equos in camporum ſolitudinibus paſcunt curatiùs. Chanus, habito cum Galgâ, aliisq; Sultanis, & primoribus Murzis conſilio, imperat ordinatq; agenda. Rariùs ipſe, nec niſi cùm operoſius bellum inſtat, progreditur. Quod ſi verò adesſe parat, viritim omnes, quotquot in Tauricâ, & circum eam habitant, accingere ſe jubentur. Paucis ob ætatem, atq; in tutelam patriæ copia datur manendi. Cùm autem univerſi ita cojerunt, centum viginti

circiter

circiter millium capitum exercitus efficitur. Equorum triplo ferè major numerus est, quia singuli equites, ut ante dixi, unum atq; alterum ad subita casuum, & in levamen fessis, ducunt secum à latere. Cæterùm cùm alii Ductori, ex agnatis aut nobilioribus terræ, rem delegat Chanus, quadraginta plus minus hominum millia mitti solent, prædandiq; magis quam dimicandi, nisi necessitate adigantur, animo. Pauciores etiam æstate plerumq; emittuntur, ut minore strepitu copias Polonicas ex hybernis reduces, vitent. Mira verò tum eorum in transmittendis fluminibus, Borysthene inprimis, ratio est: aliquantum dispar illi, quâ in trajiciendo Danubio olim usos Nicetas Choniates sub finem libri secundi memorat. Fascibus junceis vel arundineis singuli perticas illigant, imponuntq; ephippium, vestes, arma. Ipsi nudi jubam equi apprehendunt, alterâ manu flagellum regunt. Sic juxta equum nantes trajiciunt. Fasces cum impedimentis sequuntur, quippè caudæ ejusdem equi reste allîgati. Sed jam porrò fasces istos eâ firmitudine compingere didicerunt, ut non modò impedimentis, sed & uni alterive homini vehendis sufficiant. Vector huic quasi ponticulo vel lintri junceo insistens natantem ac fasces

Flumina trajiciendi modus Taratricus.

trahentem equum dirigit, quà opus. Cum deinceps è terris Rusſicis redeunt, ſi quid inter prædas vel pretioſum vel imbecillum ducuut, tali modo ut plurimùm transvehunt. Quaterna jumenta juſtæ magnitudinis detruncant, carnemq; omnem & oſſa eâ ſolertiâ eximunt, ut cutis undiquaq; integra maneat, niſi quà jugulus abſectus eſt. Cuti deinde aerem ſufflant, ubi ea ſatis intumuit, quod in cervice patet, arctè conſtringunt vinculis, ne aer poſſit erumpere. Hos truncos, utrium inſtar, inflatos, in quadrum ligamentis perticisq;, relictâ in medio, qualis necesſaria viſa eſt, intercapedine connectunt, & moxasſeres, ſi adſunt, vel currus, totis ſuis exutos cumq; his ſimul quicquid in captivo agmine delicatius eſt, resq; alias aquæ impatientes imponunt. Alii robuſtiores ad latera natant, rati tamen iſti, quà posſunt, hærentes, ne flumine abripiantur. Prænant bini equi, ratemq; eo, quo ante dixi, modo, laqueis caudæ innexis trahunt, ducente ſingulos Tartaro, equi jubam amplexo, aliisq; etiam ex rate adgubernantibus. Ac in hunc modum Duces noſtros in conflictu mox deſcribendo captos transvexêre Tartari, ut ex iis, qui ſimùl tum, & eodē modo tranſiêre, accepi.

Sed

Sed majore plerumq; & numero & alacritate Tartari hieme excurrunt. Quia tùm intra villas casasq; Russorum reperiunt ea, quæ petunt, æstate aliàs per campos latè vestiganda. Hyberno prætereà cœlo, rivi, flumina & paludes frigore constrictæ nullam transituris faciunt moram, nives insupèr viam molliunt equis. Horum enim alioquin ungulas Tartari nullo ferro adversus glaciem aliamve humi duritiem muniunt. Rarò cornu bubulum, aut corium aliquod suppingitur. Porrò cùm in campos desertos venêre, declivia & avia ut plurimùm consectari consveverunt, fallendæ Cosacorum vigilantiæ. Quibus ubi de hostis istius adventu suboluit, facto passim tumultu, conclamare ad arma, agrestibus verò in oppida & arces concurrere usitatum est. Sed Provinciæ, quas Tartari petunt, latè admodùm patent, lætis ferè ubiq; segetibus, pascuis, apiariis, quæ hîc frequentissima, numero deniq; colentium opimæ: cæterùm nullis penè saltuum paludumve objicibus morantes transitum. Raroq; ita sedulò incolarum vel præsidiorum excubat industria, quin identidem eam latronum istorum celeritas præveniat aut declinet. Et habent illi varios tramites, per quos se in aperta camporum atq; in ipsa etiam ter-

ræ penetralia infundunt. Ubi autem, quo ire destinaverunt, perventum, nec progredi ulterius visum est, retrò jam flexo agmine, prædari demùm incipiunt. Itaq; tertia pars exercitûs in diversa dimittitur. Reliqui cum prætoriâ cohorte, (quam vulgò Kosz appellant) paulatim, & ex composito dimensis itineribus recedunt; quò alteri, qui prædationis causâ undiquaq; per viciniam vagantur, scire semper possint, quò confugere, si opus sit, prædasq; referre debeant. Hi cùm redierunt onusti, mox alii mittuntur, qui prioribus intacta perscrutentur, multifariam iterùm, tamen sat ordinatis compositisq; in illâ etiam confusione turmis, dispertiti. Ita vis ingens convectatur prædæ. Neq; greges tantùm atq; armenta, sed viri, fæminæ, pueri, puellæ immenso numero aguntur, ita ut ad multa millia, sæpe & ultra quinquaginta procedat captivorum agmen. Casis agrestium expilatis ignis plerumq; injicitur. Ita extremam ubiq; solitudinem vastitatemq; harpyjæ istæ faciunt. Nec ante populari desinunt, quàm materies prædandi, oppida & pagi deficiant. Cùm in deserta atq; avia camporum reventum est, respirant primùm, & lustratis compositisq; copiarum suarum ordinibus, dividunt spolia & captivos.

Prædandi modq.

Prædæ divisio.

vos. Quorum decima pars Chano, aut si is absit, procuratoribus ipsius datur à singulis. Cæterùm hîc, qui nexu sanguinis aut contubernio notitiâve inter se devincti, fortè & simùl capti, hactenùsq; juncti iverant, in diversa jam trahuntur, magno calamitatis augmento, cujus qualecunq; solatium erat, inter truces istos notam amicamve faciem videre. Jam maritus ab uxore, à liberis Parentes divelluntur, singuli seorsim ad fædissimæ servitutis ministeria, pleriq; etiam ad infanda Turcarum ergastula ac triremes, nisi redimantur, ducendi. Non lubet referre, quàm indigna sæpe hîc patiantur captivi, fæminæ inprimis, inter homines solutæ admodùm libidinis, quiq; partem felicitatis in hàc Veneris licentiâ ex lege Mahometis & insitâ salacitate locant. Uxores domi habent, quot omninò alere possunt: neq; ullis sangvinis, limitibus circumscribuntur eorum matrimonia. Ex captivis porrò fæminis, quot & quales libet, adsciscunt. Attamen nec masculorum amore abstinent. Cæterùm captivis omnibus, quos penes se habent, potestatem se redimendi facere solent. At pretium immane initiò exigunt, præsertim si quem loco aut opibus præstare intelligunt vel suspicantur. Et confessionem fortunæ, tùm pretii auctionem, la-

Libidines Tartarorũ.

borum intensione, sæpè & flagris extorquent. Unde multi, quò humanius habeantur, supra sortem suam se æstimant. Eò major posteà in redimendo difficultas. Interveniunt plerumq; Armeni, in lytro ex Poloniâ accelerando, operam, non miseratione, sed lucrandi cupidine, adnavantes.

Cosacorum cũ Tartaris lucta.

Revertentibus autem ita cum prædâ Tartaris insidiari subinde, ut superiùs dixi, consvevêre Cosaci, quippe & ipsi celeres & locorum gnari, tùm scloporum usu plerumq; iis formidabiles, ipsi intra carragines, quas subitò, quoties opus, struunt, adversus sagittas Tartarorum tuti. Et hi prædæ suæ timentes implicitivè ægrè revocantur ad pugnam. Cedunt potiùs, & relicta quandoq; spoliorum parte aviditatem sequentium morantur aut placant. Quicquid sit, olim non exile his terris munimentum adversus prædatorem populum Cosaci fuerunt, posteà eorundem socii, calamitates Poloniæ, quas avertere aut minuere consveverant, intendere atq; augere cæpêre. His

Cosaci cũ Tartaris se jungunt.

verò demùm temporibus à Chmielnicio & Tohaibego confœderationis, ante hac insolitæ, facta sunt initia: improvisa nostris, quia antiqua, & velut in naturam versa eorum inter se hostilitas omnem necessitudinem videbatur excludere. Verùm insita

tali

tali hominum generi levitas, si non extinguit penitùs, refrigerat tamen facilè odia, ubi ea utrinq; evidentiore lucro, in vicinum effundi possunt. Quoq; hic potentior esse videtur, eò altiùs illi gratiam inter se, & velut adversus communem hostem solidant nexum. Facilè porrò hæc, ut ex longiore digressu ad rem superius cæptam redeam, in illis camporum solitudinibus transigi ita potuêre, ut nostris Ducibus nonnisi serò innotescerent. Ignari itaq; nefariæ societatis, primo vere copias, quas à quartâ redituum ex præfecturis Regiis parte, in stipendium earum sepositâ, Quarzianas vocant, contrahunt, advocatis simùl sex Cosacorum legionibus, quæ militiæ Polonorum post ultimam transactionem, dicto sacramento innexæ, ordinarium stipendium, sub Tribunis suis, Ducibus Polonis, merebantur. Accesserant insupèr (quanquam solito pauciores) extraordinariæ turmæ ac cohortes Procerum illorum, qui solito in Patriam & gloriam militarem studio, necessariis Reipubl. temporibus, auxilia ejusmodi solent submittere. Atq; ita cojerat in unum septem circiter millium exercitus expertus militiæ, & numero quidem modicus, animo tamen suo, sed & aliorum judicio Cosacis facilè suffecturus,

Id nesciunt nostri Duces.

Quarciani milites unde.

Illi movent copias in Chmielnicium.

cturus, si rectè & ordine rem procedere fatum voluisset. Sed id castigandæ Poloniæ jam imminens, omnia secùs vertit. Procedebat in campum exercitus, parùm notis, ut dixi, adhuc hostis viribus, & cum de novo tantoq; Tartarorũ subsidio nihil quicquam nostrorum ulli suboluisset. Partiri porrò eum exercitum visum est, quò faciliùs per illas solitudines, pabulum equis virisq; sufficeret. Ac properantibus in occursum hostis, præeundi honor filio summi Ducis, Stephano Potocio, contigit, futuro hîc suis, si pugnandum esset, non vulgari virtutis stimulo, necnon fidei, si transigere rebelles mallent, autoramento. Cui Hyacynthus Schembergius, Arbiter tunc seu Commissarius Cosacorũ, Stephanus Czarnecius, qui posteà summis in Patriam meritis toto orbe inclaruit, Joannes Sapieha, ad omnia magna natus, aliiq; multi manu animoq; impigri, adjungebantur. Erat mille quingentorum circiter hominum manus, cui quater mille Cosaci ex ordinariis Cosacorum legionibus additi, & partim itinere terrestri, partim flumine, separatim ire in rebelles jussi sunt. Horum tamen omnium, antequam loco moverent, fidem, repetito jurejurando, firmare visum est. Quanquam qui iis præerant, Tribuni, compertæ

Duces partiuntur copias.

Potocius Junior partem ducit copiarum comite & Rectore Schembergio aliisq;.

pertæ alioquin & ut mox apparebit, ad extremum usq; immotæ in Rempubl. fidei, nihil de animis suorum dubitandum asseverarent: omnisq; illa turba Chmielnicium vivum brevi adducere fidenter pollicerentur. Ac qui flumini se commiserant, Cosaci ordinarii, feliciter in Insulas Zaporovianas delati, has, à Chmielnicio desertas, & vix quinquaginra hominibus infessas, reperêre. Quorum aliquos interemptos, cæteros unà cum Insulis facilè expugnarunt. Feroces mox illos successus, & fortè ipsæ hæ, quas intraverant, jam olim nempè licentiæ dicatæ sedes reddiderunt. Cumq; adeò insuper de viribus Chmielnicii, quem tantâ Tartarorum ope subnixum, antè ignorâssent, rectiùs edocti, cæteris, qui cum Schembergio sequerentur, & proin omni huic exercitui malè timerent, ire, quà fortuna invitabat, quàm quà fides duceret, maluêre. Et mox festinato, ut inter tales solet, consilio, eos omnes quos in perfidiam non consensuros sciebant, inprimis Tribunos, interficiunt. Indè properè Chmielnicium assecuti, & ab eo in societatem facilè adsciti, reliquos, qui sub Schembergio, aliquot diebus, fide integrâ, in Chmielnicium & Tartaros pugnaverant, ad desertionem partis, tanquam nu-

mero longè imparis, & haud dubiè ſuccubituræ, ſolicitant. Qui ſociorum tùm ſtimulationibus, tùm exemplo, fortè & periculo, quod imminere ſibi ſentiebant, evicti, ubi defectionem orſa eſſet Draganorum manus, quæ Polonicis copiis intermixta ibat, Germana habitu, natione Ruthena, & ejusdem cum Coſacis fidei, clamore in fædisſimi auſûs ſignumſublato, uno omnes impetu ad hoſtem tranſiêre. Imminutus tantâ ſui parte præcurſor iſte exercitus, & mox ab hoſte, accesſionibus iſtis tantò jam animoſiore, circumfuſus, nihil quidem per dies ſex adhùc pugnando, virtutis omiſit; tandem tamen pactione inſidiosâ, circumuentus eſt; cùm hoſtis liberum omnibus ad caſtra Ducum regresſum polliceretur, ſi machinas bellicas ipſi tradidisſent. Quod ubi, quanquam multùm reclamante Schembergio, factum, patuit illicò dolus, cùm nullâ habitâ juris gentium ratione, nuncii ſeu legati pactionis, Stephanus Czarnecius & Brzuchanius, ab hoſte retenti ſunt. Cæteri jam ad quadringentos circiter redacti, & eluſos ſe conſpicati, durante tamen in extrema omnia animo, reditum ad Duces moliebantur. Jamq; inſtructâ carragine ſtrenuè pugnantes, tria milliaria eundo confecerant. Cùm tandem Ducibus deſtituti

Potocius junior cum ſuis laborat.

tuti (quippè Schembergius ductor istarum copiarum, & Potocius, vulneribus invalidi erant, Sapieha calore pugnandi à suis longiùs provectus, in manus hostium devenerat) deniq; etiam pugnando fatigati, potestatem sui amisêre. Ita quotquot pugnæ superstites essent, capti & à Tartaris, permissu Chmielnicii in Tauricam abducti: ipse Potocius filius summi Ducis, quod æger admodùm esset, relictus est in campis desertis, & ejus habendæ curæ additus Czarnecius. Ille triduò post, ex vulnere, cui gangræna tandem accesserat, exspiravit. Hic apud Cosacos detentus, tandem post transactionem Zborovianam, ad suos magno Patriæ suæ bono rediit. Ingens, in primo hoc impetu infeliciter effuso, vulnus accepit Polonia; amisso, in præcursore hoc exercitu, flore militum; tùm dato atrocissimo perfidiæ Russis aliis exemplo, & ulterioris metu Polonis. Insecutus interim erat, sed lentioribus itineribus, Potocius senior cum Campiductore Calinovio Palatino Czernichoviæ, quinq; plus minus millia militum ducens, & jam quindecim circiter milliaribus à funesto illo loco aberat, successuũ nuncios à Commissario & filio, quos præmiserat, opperiens. Quos cùm diu nullos acciperet, sinistra inde animo præcipiens,

Prima Polonorum clades ad flavas Aquas.

Potocius Dux sequitur cum alterâ parte exercitûs.

cipiens, Cercasſium rediiit, ubi biduo conſumpto, cùm tandem XI. Maji à Chriſtophoro Grodzicio Codacani præſidii præfecto literas tantæ cladis indices accipit. Ad arcem quippe illam, duo ex infelice pugnâ gregarii profugerant, qui quæ viderant, retulêre. Grodzicius ſine morâ de clade, & juxtà periculo, quod ſibi, & Codaco ipſi, milite rebusq; necesſariis adverſus vim tantam non ſatis inſtructo immineret, monendum arbitratus Ducem, ſuum ſimùl de arce illâ nonniſi cum ultimo ſangvine dimittendâ propoſitum denunciat. Potocius confeſtim ut literas legerat, easdem ad magnum Regni Cancellarium Osſolinium celerrimè tranſmittit, orans ſimùl, ut Rex approperatis ſubſidiis, commotôq; omni Ordine Equeſtri, exercitui ſuo ad tantam hoſtium multitudinem diu ſuſtinendam impari opituletur. Mox de fato ſuorum aliunde etiam confirmatus, properantiùs retrocedendum duxit. Motis itaq; caſtris Corſunum oppidum à Stephano Rege ad Roſam amnem conditum tranſit: ſic porrò, quantum fieri posſet, celeriter perrecturus. Sed paulò poſt à Gedeſzynio, quem exploratum miſerat, monetur, Tartaros ad ſextum inde milliare Taſminum flumen trajicere. Itaq; figere ac munire caſtra jubet.

Potocius retrocedit.

Eodem

Eodem die oppidum, ne hosti relictum vires ejus augeret, prædæ militum datum, postridie verò idem, cùm Cosaci Tartariq; appropinquarent, quidam & intra jam essent, succensâ jussu Ducis unâ domo, & inde mox in cæteras grassante flammâ, in cineres totum consedit, solâ arce, & fano uno, quod longiùs paulò abessent, relictis. Stabat noster quinq; circiter millium exercitus, intra castra, supra solenne carraginis sepimentum, festinatis quinq; terreis munitionibus utcunq; firmata. Frontem eorum Henricus Dönhofius vetus militiæ tribunus, quinq; Draganorum vexillis & quatuor machinis tutabatur. Totidem machinis alteram munitionem Vice-Tribuni Corydonis; Stephani Czarnecii & Andreæ Coniecpolscii vexilla tria numero; Tertiam desultorii equites Bieganovii, sed sine machinis (nec enim Dux summus nisi octo machinas adduxerat) quartam pedites & Dragoni Sceniavii: quintam pedites & desultorii equites Dominici Zaslaviæ & Ostrogiæ Ducis, Palatini tùm Sendomiriensis, posteà Cracoviensis, defendebant. Primi oppidanum pontem Tartari trajecerant, & turmatim circumfundebantur castris. In quos Dönhofius explosâ machinâ detonuit, cadentibus ex hoste nonnullis atq; inter eos primi-

Poloni se defendunt,

primipilarii, quem ſuorum proximi, equo impoſitum abſtulêre. Coſaci cautiùs ſuccedebant, atq; eminùs, aut ſub collium protectu, Caſtrorum poſitum accesſusq; ſpeculabantur. A Tartaris interim & vicisſim Polonis magis magisq; præludebatur prælio, connitentibus utrinq; qui caſtris exultaverant, captivo aliquo potiri, qui ſuorum numerum animosq; enunciaret. Fruſtrati ſpe ſuâ tùm Tartari: Poloni Tartaros decem, & Coſacorum plures, eo die ad Potocium adduxêre, qui torminibus ſubacti, retulêre, *Tartarorum quadraginta, ſeptem millia Coſacorum primùm adfuisſe; ſed quibus eo ipſo die plusquàm decem millia agreſtium, variè armatorum, accesſerint; Chanum deniq; Tartarorum, in campis deſertis jam ſtare, bello paritèr accinctum.* Homines iſti, cùm ſibi, ſeu vera, ſeu falſa nunciásſent, extrema inſtare ſcirent, ut Coſacis ſuis morituri etiam prodesſent, vires hoſtium ultra verum extulerant, ut poſteà deprehenſum eſt. Sed fidem tamen tùm invenêre. Nam Tartarorum celeritatem & ingentem Polonam animos non neſcientibus, porrò autem de plebis, undiq; ad arma conclamantis concurſu, aliundè admonitis, nihil dicere viſi ſunt, quod verum excederet. Verſis tùm in periculi aleam, animis omnium,

Campidiductor svadere cæpit, prælio uti res committeretur, *augescere morâ periculum, inquiens, & pugnantibus spem superesse victoriæ, paulò post nonnisi compedum mortisve, nec forsan satis gloriosæ, copiam futuram.* Non placuit supremo Duci consilium, quo uni ictui universæ Reipubl. securitas videbatur subjici. Et Lunæ diem obtendebat, quem tot experimentis sibi infelicem cognovisset. Interim ex singulis vexillis, binos seligi permisit, qui rectore Balabano in præcursores Cosacorum & Tartarorum ducerentur. Sed hos explosâ una Dönhofii machina ita disjecerat, ut nihil opus esset quenquam in eos ducere. Cæterùm uti prælii aleam tentare haud consultum videbatur Duci, ita nec decorum credebat, loco cedere; aliis contrà acriter instantibus, ne teneretur ibi exercitus, ubi, hoste indies incrementa sumpturo, sibi nec auxilii spes ulla; & defecturis mox jumento militiq; alimentis, certum exitium expectandum sit. Concessit tandem in horum sententiam Potocius, adeoq; stetit consilium, curruum gravioribus relictis, cæteris in carraginem connexis, agmine lento, & ad pugnam parato, cedere retrò: datumq; mox negotium Bieganovio metatori castrorum, viro in rebus agendis notæ dexteritatis, carraginem

Duces deliberant an prælio res committenda.

Duces retrò movent.

ut instrueret. Quod ubi factum, jussi singuli militum equis descendere, & his intra carraginem conclusis, pedites locum quisq; suum, in carraginis ambitu, propugnare. Occupaverat hostis iter, nihilominùs in eum, masculè obversâ fronte curulis hæc acies ibat, & sclopetorum ictibus obsistere ausos, submovebat. Facto sic sesquimilliari, ad betuletum, quod sensim, mixtis aliis arboribus, in sylvæ altitudinem assurgebat, deventum est, locum nefandum, & veras Polonorum Cannas. Impeditum, & curuli aciei propè ineluctabile iter, dumetorum angustia faciebat, inq; solo uliginoso & ad gradum instabîli, hærebant currus, multiq; evertebantur. Quibus inhiantes Tartari & Cosaci, cùm nostrorum tormentis & sclopetis subindè propulsarentur, nihilominùs luctantem Polonorum aciem, in penitiora sylvæ comitati, infestabant undiq;. Alii prægressi, viam fossis transversim ductis & concædibus intercludebant. Cùm ita quatuor ferè horis conflictati Poloni (nam qui ex Ruthenis aciei Polonæ intermixti, plus minus mille octingenti, ad hæc devia ductores fuerant Polonis, in primo luci betulacei ingressu ad hostem profugerant) strenuè se sustentâssent, tandem circa meridiem, stratis cadavere multo viis, tùm interceptâ

Sed infeliciter.

Clades Corsunensis.

ceptâ

ceptâ vepretis, viq; etiam hostili perruptâ carragine multitudini violentiæq; urgentium jam impares, in potestatem hostis devenêre. Multos etiam tùm, quanquam resistere jam impotes, crudelitas gladii hostilis hausit, plures, & in his ipsum belli Ducem Potocium, & Campiductorem Calinovium, duplici vulnere saucium, Odrzyvolscium Castellanũ Czernichoviensem, eundemq; Præfectum Vinnicensem, insignem militiâ virum; Sieniaviũ, juvenem opibus & avitâ belli gloriâ præsignem, Cazanoviũ, Balabanũ, Henricum Dönhofium, Bieganonoviũ, multis decoribꝰ claros Ductores, Comoroviũ, Corydonem Gallum, qui tamẽ ex tribus vulneribus triduo post exspiravit, Flikum, Lacrostadium, Centuriones, aliosq; strenuos bello viros strinxêre vinculis, & in Tauricam deniq; abduxêre. Paucissimos, atq; inter hos Koricium, Gdessynium, etsi jam vulnere tardum, Cossakovium item, notissimos rebus gestis Ductores, hoste inter currus & spolia occupato, cladi huic, & mox agrestium, passim in victos desævientium insidiis, felicior fortuna & virtus subduxit. Koricius inprimis nonaginta circiter militibus comitatus, per multas ad Chmielnicium tendentium Russorum cædes, Kioviam primùm, & inde rursùs per

Duces capiuntur & multi alii.

ſumma diſcrimina, ad ſuos evaſit. Sed & Sieniavius à Tohaibego, clam Chano, qui jam prædæ recipiendæ causâ appropinquabat, ſpondentibus pro lytro, viginti millium aureorum, Potoçio & Calinovio, à vinculis citò atq; intra ipſum locum penè cladis, liberatus, cum ſuis aliquot domum incolumis rediit. Ad eum modum duplici intra dies decem clade, protector finium exercitus, & primum velut robur Poloniæ, à barbaro hoſte proculcatum eſt. A Tartaris verò pasſim impunè omnia pervagantibus, ſuper antè memoratos, ingens hominum vis abducta mox fuit, adeò ut ſint, qui captivorum numerum ſupra ſeptuaginta millia procesſisſe narrent. Cæterùm, cùm ingens esſet vulnus, quod iſta clades Regno inflixit: eodem tempore alterum ex intempeſtivâ Vladislai Regis morte accesſit. Qui ſub prima tumultuum iſtorum initia in Lithvaniam diſcesſerat, recens tùm filio unico Sigiſmundo Caſimiro ſeptenni, ſed magnæ indolis Principe, orbatus. Unde triſtes curas loci & negotiorum mutatione, ſimul & fesſum ex ægritudine, quam non multò ante ê Prusſiâ redux, Varſaviæ ſat gravem expertus erat, reficere corpus quærebat. Quò eum Regina Maria Ludovica Niverno-Mantuana princeps, nec non frater Joannes Caſimirus deduxerant. Sed hic

Tartari plurimos homines abducunt.

Vladislai Regis extrema.

inde iter per Poloniam remenſus, in Auſtriam paulò poſt contendit. Dùm Vilnæ esſet Rex, inter prima negotiorum, prælustrium duorum Lithvaniæ Procerum, Janusſii Radzivillii Ducis & Leonis Caſimiri Sapiehæ Vice-Cancellarii, reconciliationem habuit. Quos tamen odium inveteratum, frontibus magis, quàm animis depoſuisſe, eventus poſteà oſtendit, cùm iidem, mortuo mox conciliatore, in diverſa omnia & adverſa mutuò ivêre. Paulò poſt ex Poloniâ nuncii, de primis Chmielnicii cæptis rebellibus, & ſerpente indies latiùs ſeditione, metu deniq; advocatæ in ſcelerum ſocietatem patrociniumq; potentiæ Tartaricæ, Regi afferuntur. Viſum itaq; eſt, in Poloniam regredi, ubi faciliùs iniri conſilium, propiusq; oſtentatâ Majeſtate Regiâ retundi nefaria molimina posſent. Sed ubi Merecium, Lithvaniæ oppidum, Reginâ comite, pervenisſet Rex, ſubitò doloribus calculi & febri deprehenſus, dies aliquot inter morbi incrementa conſumpſit, magis medicamentis, quàm Medicis, ægrum deſtituentibus. Cùm langveſcere ſe videret, teſtes ultimæ voluntatis ſuæ tabulas, Sapiehæ Vice-Cancellario, quem fidisſimum ſibi & Domui Regiæ expertus ſemper erat, ſignandas dedit, curamq; exe-

quendi commendavit. Inde magis magisq; vocantium fatorum vim sentiens, à Gregorio Schönhofio S. I. ad extrema præparatus, nec multo post, vigesimo die Maji, anno ætatis suæ LV placidè, & integris animi viribus, exspiravit. Princeps sanè inter fortissimos & felicissimos seculi numerandus.

Vladislai vita & virtutes.

Quem mater Polonia in sinu minimè delicato, quippè inter bella ferè perpetua educato, quippè inter bella ferè perpetua educaverat. Prima rudimenta quindecennis adolescens sub ductu Zolkievii, fortissimi imperatoris, deposuit in Moscoviâ. Et hæc post Demetriani belli tempestatem mirè fluctuans, eum jam sibi in Principem Anno 1610. delegerat, posteà cunctatione Patris Sigismundi, internisq; discordiis, aliò aversa. Chotimensi dein expeditioni, volente Patre, auspicia sua præsens commodavit, tàm felicia, ut Turcarum Imperator Osmanes, collectis totius Orientis viribus Poloniæ imminens, satis tum habuerit securam à Polonis pacem retulisse. Quieto posthàc Regno, ad exteros versus, peragratâ utrâq; Germaniâ, Romam & in eâ summum Pontificem salutavit. Post Patrem deniq; Sigismundum mortuum Anno 1632. concordibus suffragiis omnium, Rex creatus, cum sceptro simùl mox arma capessiit. Smolenscum enim tum Moschus ingente exercitu

exercitu circumsederat. Quod brevi tempore ita Vladislaus liberavit, ut ipsum deniq; obsessorem exercitum obsideret, & ad deditionem summâ suâ & Reipubl. gloriâ cogeret. Inde in Podoliam cum victore exercitu transgressus, Abasibassam, quem ingente Turcarũ & Tartarorum vi incumbentem Polonis, Coniecpolscius magnus militiæ dux fortiter hactenùs sustinuerat, ipso adventu suo territum, & pacta promptè amplexum, ad sua repulit. Hinc eundem in Prussiam exspirantes induciæ, quas cum Svecis in sex annos pepigerat pater, revocârunt. Cujus terræ cum magnam partem celeritate & vi armorum præreptam aliquot annis tenuisset hostis, eam tùm bellis Germanicis distentus, sed inprimis Vladislai felicitatem veneratus, productis in annos 26. induciis restituit. Ex eo tempore hostis magis, quàm belli amor Vladislao defuit, Tartaris, quos paupertas sua & pernicitatis fiducia, in Russiæ viscera identidem antehac impulerat, ita auspiciis Regis, Conjecpolscii verò, Potocii, Chmelecii, aliorumq; Magnatum Virtute refrænatis; ut nec crebrò, nec nisi extrema Regni, & trepidè admodum, plerumq; etiam non impunè attentarent. Nec Cosacorum, quanquam aliquandò fræna mordentium conatus aut

Turcica expeditio.

Vladislao hostes desunt.

Cosaci sub Vladislao quieti aut domiti.

tus aut progresſus tanti fuêre, quin iis comprimendis Regis etiam abſentis fortuna, Coniecpolſcii dirigentis autoritas, & deniq; executrix Potocii manus abundè ſuffecerit; poſito tum quoq;, ex conſilio inprimis Coniecpolſcii ad ripam Boryſthenis caſtro Codacenſi, tam Coſacorum quàm Tartarorum molitionibus obſervandis compeſcendisq; peropportuno. Sub hoc itaq; Rege, ſi unquam, pace beatisſimâ & ad luxuriam propè floruit Polonia, nonniſi ſacris disſidiis ſibi interdùm moleſta. Quibus & ipſis tamen ille ponere obicem laboravit. Atq; eo fine amicabile Colloquium Thorunii inſtituit, cui Regiâ autoritate primùm Dux Georgius Osſolinius Regni Cancellarius, poſt eum verò Joannes Comes de Leſzno Caſtellanus tùm Gneſnenſis poſtea Palatinus Poſnaniæ & tandem ad majus Regni Sigillum evectus, præfuit. Partium disſentientium moderatores conſtituti: Georgius Tiskievicius Epiſcopus Samogitiæ, Sbigneus Goraiſcius, Caſtellanus tùm Chelmenſis, poſteà Kiovienſis: Sigismundus Guldenſternius L. Baro Præfectus Stumenſis & Aulæ Regiæ intimus familiaris, poſteà Caſtellanus Gedanenſis. Foris bella Vladislaus adeò nunquam recuſavit, ut poſtremò etiam ferè quæſiverit: domi

Pax religioſa.

domi ſemper pacificus, benignus, fronte animoq; in amænitates omnimodas, beneficiis in prodigentiam propè effuſus. Sed hæc obiter libereq́; de vitâ & moribus Vladislai inſerere, morte ejus admoniti ſumus.

LIBER II.

COſaci victoriâ tam memorabili, Ductore Chmielnicio, adjutantibus Tartaris, potiti; diviſis inter ſe ſpoliis ad Album Fanum (vulgò Bialocerkujam appellant) conſederunt; affluente indies illuc undiq; plebe, & militiam Chmielnicii aut ſaltē patrocinium quærente. Ut adeò intra paucos dies ad ſeptuaginta millia hominum excreverit iſte exercitus, trepidante interim, ac quà quisq; poterat, diffugiente tum Nobilitate; tum Oppidanorum iis; qui ob diverſa ſeu ſacra ſeu ſtudia Coſacis fidere non posſent. Ac juſtisſimo quidem metu Polonia omnis perſvaſerat ſibi, progresſurum tùm ſtatim hoſtem, & augeſcente in immenſum multitudine univerſas Regni Provincias, nemine reſiſtere auſo, inundaturum. Sed non fuit ea Chmielnicio mens, aut ſi fuit, fatis

Chmielnicii victoris exercitus creſcit.

Ille sistit cursum victoriæ.

adgubernantibus, mutata est. Quamdiu quidem mortem Regiam ignoravit, veneratione Principis, cujus virtutem, autoritatem, felicitatemq; non nesciebat, substitit. Quin imò missis ad eum deprecatoribus ac literis *turbarum istarum calamitatumq; occasiones, gravissimas nempè Præfectorum injurias, Judæorumq; depeculationes latè exsequitur, simùl veniam orat eorum, quæ in necessariâ sui defensione, commissa sint. Tartaros remissurum se, & porrò in obsequio Regis mansurum pollicens, dum datæ jam olim à Regibus libertatis usus sibi & Cosacis permittatur firmeturvè.*

Et scribit ad Regem.

Posteà simùl cum obitûs Regii nuncio accepit literas Adami Kisieli, Palatini tum Braclaviensis viri autoritate validi, ob sacra etiam communia apud Cosacos gratiosi. In iis Palatinus ad Chmielnicium scribens. *Nihil se,* ait, *de bono ipsius erga Rempubl. affectu dubium, ut paritèr is prosperam apud alios Senatores ac Cives existimationem ac famam experiatur, efficere conari. Militem Zaporohianum semper quidem libertatis & gloriæ avidum, obsequium tamen Regum suorum nunquam exuisse. Et gentem ipsam Ruthenam fidei suæ adeò tenacem esse, ut mortem potiùs decoram, quàm vitam perfidiâ deformem probet. Patriam deniq;, quam-*

Chmielnicium Kiselus mitigare studet efficace epistolâ.

quamvis nunc discordibus & sanguine mutuo pollutis eandem esse, in quâ sua cuiq; jura, sua libertas, aut asserendæ saltem libertatis ratio non desit; patente inter cæteros & præter cæteros viris militaribus in liberâ Republ. pro se loquendi tantâ potestate, quanta in nullo Regnorum alio. Hæc reputantem Chmielnicium non posse Reipubl. Polonicæ inimicum esse; indeq; adeò sibi, ad ipsum, ut amicum, per Monachum hominem sacris & ætate venerabilem, scribendi natum impetum, quo sic simùl suam erga exercitum Zaporobianum benevolentiam velit testatam. Non ignarum Chmielnicium, & quotquot cum ipso militant. se solum Senatorem religionis Ruthenicæ, templorumq; & jurium ejus Patronum, in eâ curâ consenuisse & porrò mori velle. Post Cumeicense bellum intactas sibi sanguine Rustico manus; & si quid durius in ipsos consultum sit, se invito & repugnante factum. Merito itaq; suo postulare se, ut fidem sibi habeant, cujus negandæ nullam obtendere possint causam. Quæ facta sint, infecta fieri non posse. Bella, atq; hinc ortam famem, pestilitatem mala esse, divinitùs immitti solita. Ea singula perdendis Provinciis idonea, Reipubl. jam incumbere aut instare universa. Eadem porrò ampliùs lacessere, provocare, aut in exi-

Cosacis in Reipubl. potestate manere utile.

tium patriæ asperare velle, indignum & nefas. Satiùs enimverò esse ultricem Numinis manum precibus, suam pænitentiâ inhibere, mitigandisq́; potiùs, quàm diducendis vulneribus applicare. Certum sibi, quæcunq; acciderint tristia, præter voluntatem defuncti Regis accidisse. Potocio etiam ipsi, quem infelix expeditio in captivitatem jam deduxerit, diu componendi magis tumultûs, quàm armis persequendi placuisse consilia. Scire se deniq; ex Zdanievio affine Chmielnicii, nec ipsum quidem cùm in insulas Zaporohianas secederet, quicquam adversi in Regem aut Rempubl. molitum, in hostilitates nonnisi post suum ex illis abitum deventum: quibus stimulis, quâ culpâ, nec notum satis, nec promptum sibi dicere. Cæterùm seu victor ab hoste seu victus abieris, non uno certamine vel victoriam pertegendam, vel sarciendam cladem. Inter domesticos ubi certatur, etiam victori gloriosius gladium cohibuisse, quàm strinxisse aut ostentâsse ultrà. Idcircò & Chmielnicio se autorem esse, ne Dei Majestatem, nec Reipubl. quietem lacessat ampliùs. Quin relegatis ad sua Tartaris, & retracto ad suetas Cosacis sedes exercitu, inde per Delegatos vera tumultûs istius primordia injuriasq; , quà exercitûs, quà suas, sed simùl mox fidem, inposterum Reipubl.

Bella domestica.

publ.

publ. haud defuturam, exponeret. Seipsum addit (*idq; sanctitatem Ecclesiæ suæ, cujus uterq; ipsorum filius sit, & antiqua gentis sanguinisq; Rutheni sacra & decora obtestans*) *Causæ ipsorum quicquid operâ & autoritate possit, semper promptissimè commodaturum. Talem sibi in Republ. locum esse, ut se inscio, nec belli nec pacis consilia haberi aut rata esse queant; eum porrò animum, qui non bello ejusmodi interno fomenta, sed malorum, quibus ingemiscat, remedia, terræ & Religioni patriæ apta, æquamq; inprimis pacem afferre optet. An enim non melius vires, in mutua mala jam conversas, in communem potiùs Christianæ gentis & religionis hostem impendi? annon vel ab illo saltem modum internis calamitatibus medendi discendum? Non semel scilicet istas gentes, Tartaricas inprimis, mutuis discordiis inter se commissas ad arma provolare: facilè tamen, ubi primæ detumuerint iræ, & sine arbitris externis, in concordiam redire. Ipsos igitur Barbaros facessere jubeant, cæterùm eorum in ponendis dissensionibus exemplum servent & sequantur.* Qui literas portabat Monachus, ægrè manûs Tartaricas eluctatus, in exercitu etiam Chmielnicii turbida omnia reperit. Tandem tamen convocatâ ad consilium bellicum turbâ, numerosâ

numerosâ admodùm, eòq; ad audiendum ægrè compositâ, literæ lectæ sunt, & primus Chmielnicius Palatini consilium approbavit. Cui assensis, sine morâ, cæteris, constitutum, positâ omni hostilitate responsum ab aulâ præstolari; Tartaros in campestria dimissos extra noxam Provinciæ, in casum tamen promptos habere, ipsum verò Palatinum ad se invitare. Et in eam sententiam missum Palatino responsum, additâ detestatione *malorum, quæ ipsis nolentibus & deprecantibus orsa, in nocentes juxtà & innoxios reciderint.* Eodem tempore, quo Monachum ad Cosacos, alium tabellarium Varsaviā expedierat Palatinus, quæ Chmielnicio scripsisset, nuncians; simùl consilia addens, de quærendis honestæ compositionis modis, & antequam ad eam accedatur, mittendis properè subsidiis; milite inprimis Prætoriano, quem præsentis animi consiliq; viro committere svadebat. Summam verò belli autoritatem Palatinus Cracoviensis dandam censebat Duci Zaslaviæ & Ostrogiæ Dominico, qui primario inter Senatores loco (erat enim tùm Palatinus Sendomiriæ) & ordinariâ suâ aliquot millium hominum potentiâ, opibusq; suis præ aliis eam dignitatem sustinere posse videretur. Cæterùm grato animo omnia

Chmielnicius paret Kiselo.

Kiseli consilia de Ducibus eligendis.

omnia hæc accepta ſunt à Collegio Senatorum, qui primo Senatore & quaſi interrege Matthiâ Lubienſcio Archiepiſcopo Gneſnenſi, Regni Primate, viro ætate, prudentiâ, & probitate venerabili, negotia Reipubl. curabant. Sed magis etiam poſteà animos omnium erexêre aliæ literæ, quibus Monachi ad Coſacos adventus, & flexa horum ad arma ſiſtenda inclinatio memorabatur. Et actæ Palatino pro iſto in Rempubl. ſtudio ingentes gratiæ, ſimùl & miles prætorian9, ducente Oſſinſcio Tribuno, deinceps verò Caroli Principis Poloniæ, Epiſcopi Uratislavienſis & Plocenſis deſultorii equites quingenti in Ruſſiam ire juſſi ſunt. Scriptæ item ad varios literæ, de conſenſu quidem Senatûs cæteri, ſed impulſu maximè nutuq; Ducis Georgii Oſſolinſcii Cancellarii: qui vir oris ingeniiq; dotibus ingens, & incomparabilis experientiæ, immotâ, quantumvis inter multa inimicitiarum & ſuſpicionum adverſa, autoritate, præcipua rerum tùm etiam regebat. Datum inprimis reſponſum ad Chani Tartarici epiſtolam, quâ ille *à Rege Vladislao, morte ejus nondùm intellectâ, quatuor annorum tributum & Coſacorum in veterem fortunam reſtitutionem*, ſuperbè ſatis & calamitatibus Regni non modicè inſultans,

Senatus Regni negotia adminiſtrat præſide Archiepiſcopo.

Conſilio inprimis Oſſolinſcii Cancellarii.

tans,

Respondetur Chani literas.

tans, postulabat. Cui repositum à Senatu *ad tributi nomen insolens & intolerandum Poloniæ semper visum, nec unquam Tartaris quicquam datum, nisi eâ lege, ut vicissim requirentibus operam Polonis præstò essent: ab iis verò sæpiùs contra factum. Et nupèr absq; scitu domûs Ottomannicæ, cui obsequium debeant, violato apertissimè fœdere, rebelles Polonorum subditos ab iis adjutos, magnamq; hominum multitudinem miserè abductam. Quid itaq; & quantum stipendii ipsis debeatur, non paucorum Procerum, qui in honorem Regii corporis & subita necessitatum, congregati essent, sed majoris Conventûs esse, definire. Qui ad 16. Julii diem indictus, propediem instet. Cosacis, ubi supplices veniam commissorum petierint, justa & æqua à futuro Rege, interponente se Senatu, non denegatum iri. Cæterùm minas Chani, ut terrori non sint quamvis afflictæ Reipubl., ita stimulo fore, ne imparatos ille inveniat, si ultra minas sævire voluerit.* Eo-

Literæ ad Vesirũ Turcicũ.

dem svasore Cancellario ad Vezirum quoq; Turcicum missæ à Senatu per Gazubam nobilem Lithvanum literæ: *Chanum Tartaricum incusantes, qui & libertatis à Rege defuncto olim receptæ immemor & Polonici cum Turcarum Imperatore fœderis irreverens, cum Cosacis Poloniæ rebellibus & in*

Turcas

Turcas ipsos hostilia subindè agitantibus, societatem pactus sit, immissisq; magno numero Tartaris, custodem finium exercitum, tam insperatæ multitudini imparem circumvenerit, Ducesq; ipsos & plurimos bellatorum, alios, post infelix Poloniæ prælium, in captivitatem Tartaricam abduxerit. Oratur Vesirus, *autoritate suâ apud Imperatorem efficiat, ut homini, imperium majoris Domini adeò non moranti, fautori juxtà rebellium, fæderum deniq; violatori scelera sua non sinat impunè esse. Et ut idem Duces, nullâ in Tartaros aut Turcas destinatâ acie captos, restituere jubeat.* Rogatur insupèr ab iisdem Senatoribus Galliæ Legatus qui aderat, *uti res Polonicas Christianissimi Regis apud portam Ottomannicam Oratori, quàm diligentissimè commendet.* De belli deniq; Ducibus in eo Senatu deliberatum, quos ternos bello isti præficere visum. Primus ordine & autoritate, Dominicus Dux Zaslaviæ & Ostrogiæ, de quo antè, nominatus est. Alter Nicolaus Comes de Ostrorog, Pocillator Regni, vir majorum gloriâ & suis meritis illustris. Tertius Alexander Coniecpolscius, Vexillifer Regni, unicus magni illius Stanislai Coniecpolscii, quem verè remoram fatorum Poloniæ dicere possis, filius. Si Jeremias Dux Visnovecius Palatinus,

Duces militiæ constituti.

Visnovecius non est inter Duces nominatus.

Palatinus Russiæ, paulò citius ex remotioribus extremæ Russiæ oris eluctari potuisset, multùm sanè ambiguam eligentium curam fecisset. Sed is, ultra Borysthenem, cum ruente in eandem rebellionem plebe agrestium, diu conflictatus, posteà malo immensis auctibus crescenti illic imparem se sentiens, quæsitis per Lithvaniæ fines ambagibus, trajectoq; istîc Borysthene, fidelioribus suorum comitatus, in loca tutiora, seriùs aliis, evaserat. Posteà quantumvis publicæ voces, militarium inprimis virorum, quorum ille favorem populari humanitate & virtute toties spectatâ collegerat, summæ eum rei destinarent, adversa tamen illi pars evicit, ut in placito Proceribus Aulicis regimine militari nihil mutaretur. Et deinceps in ipsâ Convocatione (sic in Poloniâ primus à fato Regum Conventus vocatur) hæc ordinatio confirmata est, etsi non deessent, qui aliò judiciis inclinarent, imò aliqui etiam sinistra omnia sub tali militiæ regimine portenderent Reipubl. Illi autem habendo Conventui diem 16. Julii Archiepiscopus literis publicis tùm præfiniit, mortem simùl Regiam, ex more, Civibus Regni omnibus significans, & quæ ad tuendam Regni securitatem & Russiæ tumultuantis seu pacationem,

Convocatio indicitur Varsaviam.

nem, ſeu levamentum facerent, de ſententiâ Senatorum præſentium, ſolicitè monens. Nec mora, concurrunt ubiq; Cives, agunt Conventus, quæ poſceret neceſſitas, deliberant. Illicò & poſt Conventus iſtos provinciales, ubiq; per Palatinatus colligitur miles, & in militis ſtipendium pecunia; aliis ſuo ære, aliis publico militiam & patriæ curam ſuſceptantibus. Nec facilè meminimus tempus, quo majore conatu vires ſuas Polonia omnis concusſerit. Ut videatur ſpecimen, Poſnanienſem primò Palatinatum nominabo, qui omnium Poloniæ terrarum à Rusſiâ, adeoq; à periculi aleâ remotisſimus erat. Et is tamen breve intra tempus bis mille ducentos milites contraxit, lectis ex primæ notæ Proceribus, qui ducerent, Tribunis quatuor, Andreâ Carolo Grudzinio, Rogozinenſi Præfecto, poſtea Palatino Poſnanienſi; Jacobo Rozrazevio Coninenſi Præfecto poſteà Palatino Inovlodavienſi, Franciſco Czarnkovio Medzericenſi & Pizdrenſi Præfecto, poſteà Caſtellano Poſnanienſi; Hyacyntho deniq; Rozrazevio, viro præſigni, & cujus egregia decora, mortemq; poſterior Hiſtoria memorabit. Cæterùm ſinguli horum, ſupra asſignata è publico ærario ſtipendia, proprii æris non parùm in eam

Miles colligitur in Poloniâ.

G expedi-

expeditionem, patriæ laudisq; amore, erogârunt: suâ scilicet manu nonnulli ducentorum militum publicas cohortes turmasq; augentes. At ultrà has copias, in Russiæ laborantis subsidium destinatas, tria millia militum ad tutelam ejusdem Palatinatûs, quòd is Silesiæ affinis & aliarum gentium conatibus opportunus esset, Boguslao Lescinio Generali Majoris Poloniæ Præfecto commissa sunt. Non dispare in Rempubl. animo alii Palatinat⁹ expediêre copias suas. Prussi quoq; quamquam alium & propiorem tùm hostem formidantes, mille pedites, equites ducentos ad extinguendum commune incendium misêre; commisso eorum regimine Ludovico Veihero, Castellano tunc Elbingensi, posteà Pomeraniæ Palatino. Sed his mille ducentis, cæterorum Prussiæ Procerum alacritas totidem alios addidit. Dantiscani quoq; laudabili in Rempubl. fide, & acri Archiepiscopi sollicitatione impulsi, trecentos pedites suo stipendio auctoratos Varsaviam misêre. Cæterùm eadem Prussia, ne his delectibus exhausta & quodammodò nuda, eò magis hostium finitimorum incursibus pateret, aliis qui militem in idem bellum legere vellent, jus & privilegia sua opposuit; ne literas quidem Archiepiscopi, qui inhibitionem

tionem illam juxtà cum aliis ægrè acceperat, morata. Etiam portorium, quod Elbingæ Gedaniq; Regi pendi ſolitum, in copias contrahendas tùm poſtulabatur, denegatum eſt eo nomine, quòd more dudùm recepto, Regi futuro id reſervaretur.

Iſti autem armantis ſe Poloniæ apparatus Chmielnicium equidem non latebant. Nihilominùs is amica ſibi omnia, ſponſore Kiſielo Palatino Kiovienſi, à Republ. promittens, haud dubiè & viribus ſuis fretus, ad Album Fanum, injecto ſucceſſibus ſuis ſufflamine, ſtabulabatur. Et tantùm aberat, ut de augendo militum numero laboraret, ut potiùs nimiam exercitûs molem metuens, ultrò accurrentem multitudinem à caſtris ſuis, quanquam fruſtra ferè, prohiberet. Nam immenſa ruſticis armis accinctæ plebis agmina, cùm non admitterentur, caſtris accubabant. Sed nonnullos Coſacorum Ductores tædium quietis, tùm haud dubiè deſiderium prædæ, in excurſus faciendos, prolicuit. Ac cùm intellexiſſent non exiguam Nobilium manum Tulcinum (vulgò Neſtervar dictum) ſe recepiſſe, illuc primùm, connivente vel potiùs jubente Chmielnicio, vertêre. Vetus id Calinoviorum, & adverſus Tartarorum inſultus firmum ſatis municipium erat. Nunc inſuper

Chmielnicius ad Bialacerkvam moratur.

Tulcinū invaditur.

cohortibus aliquot militum, raptim à Baibusâ nobili viro collectis defendebatur. Quibus & Mrozovius cum turmâ Coniecpolscii Vexilliferi Regni speculatum missus, postremò Czetvertinii Ducis, & Zamoscianorum militum aliqua manus accessit. Ac istorum quidem virtute repulsus aliquandiu hostis, sed majore mox impetu reversus, cùm obviam prodire ausos, numero & viribus prævalens, disiecisset, oppidum primò, deinde arcem cepit; tandem pretium vitæ & libertatis offerentibus ignoscere visus est: at hâc conditione, ut Judæos dederent. Quos mœnibus egressos, inter atrocissima lamenta, nullo ætatis vel sexûs discrimine, gladius hausit. Gerebantur hæc Ganzæ Tribuni ductu. Cujus cum avaritia pecuniis, crudelitas tot cædibus satiata videretur, supervenit alius Cosacorum Ductor Ostapa (Eusthatius nobis) qui pactum cum Ganza initum nil moratus, oppidum & ipse arcemq; vi invadit. Atq; ut facilius loco potiretur, ignem turri ligneæ, in quâ pulvis pyrius asservabatur, injicit, unde magno accensi pulveris fragore attoniti, qui in civitate erant, eò facilius hostem, magno impetu in valla nitentem, admisêre. Tum miserabili cæde multa millia hominum, nobilium inprimis utri-

Idem oppidum miserè excipitur.

mis, utriusq; ſexûs, perierè. Ibidem inter alios Zetvvertinius ex priſcis Ruthenorum Ducibus oriundus ſecuri ruſticâ peremptus eſt. Tum quoq; Niemirovia, ſed ferè ſine negotio, occupata eſt: quòd nemo aderat, qui oppidanos, in nova jam nimiùm pronos, in officio retineret. Si qui obſiſtere, aut minùs favere turbidis viderentur, immaniter trucidati: præcipueq; in Judæos utriusq; ſexûs ſævitum. Sed fæminis plerisq; non ante ſtuprum mors illata. Quandam ex primoribus, & liberalioris formæ, ſervavit Coſacus incolumem, conjugiũ ab eâ ſtipulatus. Annuere ipſa, & in ſacra inſuper Græca tranſire velle viſa eſt: hâc tamen lege, ut ſibi, antequam mutaret, ſemel adhuc Hebræo ritu Deum adorare liceret. Conſentit ille, ſed abeunti tamen cuſtodem addit. Contendit ad flumen Hebræa, ibiq; præceptis Decalogi, quæ ſecum geſtabat, capiti impoſitis, in aquam ſeſe, præcipitat, memorabili contemptu vitæ, quam, niſi incolumi religione & caſtitate, mulier ſervare noluit. Dùm iſta hîc geruntur, non procul inde incertum an connivente, an coercendæ effræni turbæ impare Chmielnicio, licentiæ majoris ſignum ſuſtulerat, Krzyvonosſius, homo olim ferris bombardisq; faciendis exercitus: nunc bel-

Niemirovia.

Crzyvonosſius Dux Coſacorũ, præcipuè agreſtiũ.

li aliquo uſu, ſed inprimis aſtu ſenili & audaciâ, modicæ primùm manûs, mox vaſti exercitûs ductor factus. Etenim turbidiſſimus quisq;, cui nec Chmelnicius ſatis barbarus videbatur, prædæ cupidine & publico quodam quaſi furore ad eum ruebat. Cui ante alios omnes Jeremias Viſnovecius, Dux magni animi & bello felix, ex ultimis Rusſiæ trans-Boryſthenianæ oris nuper eluctatus, ſe oppoſuit; primo impetu Poherebiſcos & Niemiroviam, oppida perduellia, aggresſus. Poherebiſcis aliquot Rutheni, qui cæteris ad perduellionem præiverant, in furcam acti. Niemiroviani venienti à Principe Baranovio portas præcluſerant. Poſteà vim experti & majorem metuentes, miſſo obviam Magiſtratu, Duci ſe purgârunt, & ut tutiores adverſus hoſtem esſent, militem in præſidium popoſcerunt. Miſit ducentos equites deſultorios Viſniovecius, Scanſcio & Juskievicio Ductoribus. Sed hi vix mænibus ſuccesſerant, cùm Coſaci Braclaviani advocantur, qui magno numero oppidum ingresſi, omnes iſtos præſidiarios, adjutante oppidanorum perfidiâ, trucidârunt. Inſignitum Niemirovianorum ſcelus abominatus Viſniovecius, & ſimilem aliarum iſtîc Civitatum perfidiam metuens, cùm neminem ſibi in auxilium

Poherebiſci capiuntur à Viſniovecio.

auxilium venire ſentiret, retrò ducit militem ſuum. Iter ingreſſo obvius fit cum aliquâ manu ſuorum Janusſius Tiskievicius Palatinus Kioviensis adferendam Machnovvcæ, oppido ſuo hæreditario, quod hoſtis occupâsſet, opem flagitans. Nec deſerendum ſibi tantum amicum, & tam ſolitè orantem putavit Viſniovecius. Cùm Machnovvkam venisſent, harpyjas hoſtiles direptioni oppidi intentas reperiunt. Irruunt in palantes, & per intima ædium venantes prædam, nullo negotio fugant trucidantq;. Quod ubi nobilis turba, quæ undiquaq; ab hoſte circumfuſa, in arcis quodam conclavi, ad extrema omnia ſe obſtinaverat, intellexit, ſummâ alacritate accurrit, & in cædendo hoſte non ſegnem navat opem. Mox ad caſtra quoq; Crivonosſii itur, quæ non procùl ab oppido remota erant. Hæc verò ipſa quoq; prævius jam terror ita perculerat, ut undiq; in fugam ruere hoſtiles catervæ cernerentur. Et parùm aberat, quin duo hi magnates ad extrema ibi hoſtem redigerent, facturi ſanè utilisſimum patriæ, ſibi glorioſisſimũ belli compendium. Sed publico bono privata ſe utilitas interpoſuit. Fuit enim, qui patrimonio & ſubditis ſuis, quorum plurimi inter hoſtilia agmina erant, me-

Viſnovecio ſe adjungit Tiskievicius Palatinus Kioviensis.

Machnoviæ hoſtis deprehenditur.

Victoria corrumpitur.

tuens, effecit autoritate & precibus, ut cædium victoriæq; cursus sisteretur. Nox prætendebatur, æquè victoribus, quàm victis periculosa. Interim tenebrarum opportunitate usus hostis, desertis castris & impedimentis, exitio se, in summam terrarum illarum perniciem, subduxit. Nam paulò post idem accursu plebis innumeræ eò virium spirituumq; processit, ut victorum copias, nullâ aliunde ope sublevatas auderet lacessere. Deniq; etiam recedente nonnihil ob impares vires Duce, Polonnam Stanislai Lubomirscii Palatini Cracoviensis oppidum, ingenio loci & opere validissimum, septuaginta dudùm machinis bellicis, arcendæ vi externæ, instrüctum, aggressus est. Non alius sustinendo atq; etiam retundendo hosti sufficientior locus videbatur, ejusq; ad tutelam Visniovecium Ducem animus ferebat, sed à comite Palatino attinebatur, qui fraude oppidanorum omnes Polonorum conatus irritos fore suspicabatur. Cæterùm præsidii Visnioveciani fiduciâ, vicina Nobilitas & quisquis hostem timeret, inter alios etiam Castellanus Kioviensis Brzozovius, & Czernius sub-Præfectus Bialocerkviensis, aliiq; viri insignes se & carissima quæq; in Urbem hanc intulerant. Sed nullo post apparente, mox & despe-

Polonna capitur & miserè habetur.

& deſperato omni auxilio, animadversâq; civium in Coſacos inclinatione, multorumq;, ex præſidiariis etiam, ambiguâ fide, cautisſimus & promptisſimus quisq; inde ſe proripuit. Qui fugere nequirent, vel ob hoſtis propinquitatem timerent, gliſcenti proditorum civium perfidiæ aliquantùm reluctati, eidem deniq; cedere cogebantur, Adeoq; nemine prohibente ingresſa barbara colluvies, quicquid crudelitas & libido juberet, perpetravit, cædibus in Polonos juxtà ac Judæos, ſtupris in ſexum imbellem, nobiles præcipuè fæminas, direptionibus deniq; in omnes atrocisſimè grasſata. Putes fædisſimum hoſtem darè voluisſe ſpecimen ſævitiæ, quod ſparſo longe lateq; terrore, omnium animos ita dejiceret, ut nemini non conſilium fugiendi quàm reſiſtendi videretur melius. Et ſanè poſt Polonnam ita facilè occupatam, nihil impervium hoſti, nihil tutum esſe Polonis viſum eſt. Latè mox, atq; in omnes circum partes diffuſa colluvies, & augebatur eundo, & quicquid usquam ad obſequia minùs obvium reperiret, malè mulctabat. Ubi ſic in ſanguine fundendo plebem agreſtium aliquandiu exercuerat Crivonosſius, efferatiorem & tot perpetratis ſcilicet egregiis facinoribus nihil non auſuram, duxit

Constantinovum tendit Crzyvonosʃius.

verʃus Conʃtantinovum, Dominici Ducis Zaslaviæ Oʃtrogiæq; hæredium, urbem commerciis celebrem, & vallo pæalto cinctam. Ei defendendæ Dux posʃesʃor mille quingentos equites, pedites ter mille circiter, regente illos ductore inʃigni Coricio, hos Suchodolʃcio non ʃpernendæ experientiæ viro immiʃerat. Quibus commodum Osʃinʃcius caʃtrorum Lithvaniæ metator pervenit, prætorianam Regis defuncti legionem ducens. Ubi copias junxerant, parte peditatûs intra urbem relictâ, aciem ritè inʃtruunt hoʃtemq;, ut ex ʃpeculatoribus intellexerant, propediem adfuturum opperiuntur. Interim Dux quoq; Viʃniovecius, cùm fruʃtrà ante Osʃincium Coriciumq; ad ʃe invitâsʃet, nunc majore ingruente periculo, ab iisdem ad capesʃendam Conʃtantinoviæ defenʃionem ʃolicitè invitatus, comitante Palatino, advolat, quinq; circiter millium exercitum ducens. Vix de nocte in unum cojërant copiæ, cùm ecce ʃequenti mox die hoʃtis, misʃis primùm prælusoribus, qui ʃpecie paucitatis in acie ʃtantes Polonos in camporum aperta prolicerent; paulò poʃt, cùm nemo prodiret, totâ eâq; immensâ multitudine vicinos urbi campos opplevit. Stagno & paludum uliginibus duo adverʃi exercitus interjungebantur.

Idem defendunt Poloni.

Sed

Sed per ſtagnum quia arte factus agger dabat trajectum, eo occupato, ire in Polonos decreverat Crivonoſſius. Hi verò tranſitum prohibituri, paritèr cis trajectum conſtiterant. Ipſum aditum trajectûs cuſtodiebant circumpoſiti Ducis equites deſultorii, quibus intermixti ſtabant Osſinſciani pedites, ab equite ita contecti, ut conſpici ab hoſte non posſent. Alterum latus, quod in campos reſpiciebat, Coricio dabatur tuendum. In ſubſidiis collocatæ erant turmæ Palatini Kiovienſis & Viſniovecii, iisq; præfectus Zamoſcius. Hoſtis iſtos omnes exitium ſibi ipſis ultrò parare arbitrabatur, quippe qui adeò modico ſuo numero tam ingentem exercitum opperiri non dubitarent. Itaq; aggerem & quæ aggeri ſubjecta erat, uliginoſam planitiem trajicere properat multitudo, ſecura ſui, & victoriæ certa. Cùm ultra medium aggeris venisſet, dato à Ducibus ſigno, equites in latera diſcedentes, pediti ſpatium faciunt in hoſtem ſclopis detonandi. Hoſti improviſus iſte pilarum nimbus fuit. Unde ubi ſtragem ille in primis Ordinibus haud exilem vidisſet, ſubitò prior audacia in formidinem vertit, ita ut ſine morâ omnes fugam retrò maturarent, pars viam per ſtagnum vel paludes quærerent, vel trajectu, ab aliis præire

Feliciter rem agunt Poloni.

Krzyvonosſius profligatur.

præire nitentibus, depulsi; vel quia per angustias aggeris non satis celer fuga consternatis videretur. Alii, quibus præcox alacritas invia paludum ante peruia fecerat, nunc quicquid tardum iter redderet, èvitantes, facto per campos circuitu ad suos evadere laborabant. Sequebantur quà poterant Poloni refugos. Et equitum plurimi, præviis Sokolo & Curossio, trajectum & uligines alicubi superaverant, ut hostem undiq; exciperent urgerentq; Krzyvonossius cum Præfectis aliis & cæterâ multitudine, pugnæ magis quàm pavoris adhuc experte, recepit se ad castra: quæ quia structâ carragine adversus vim firmata, jam & machinis fulminare cæperant, persequentium ardorem stitêre. Redditâ luce, instandum hosti, & impulsam ejus fortunam fortiter urgendam censebat Visniovecius. Sed alii, quòd tam parvo exercitu insuperabilem hostium multitudinem crederent, & fama esset, Chmielnicium à Pavluco oppido non longé remoto ire suppetias Krzyvonossio, jamq; aliquot inde turmas accurrisse: non tutum putabant denuò fortunæ aleam istîc experiri. Quare stetit sententia, reducendum exercitum; donec receptis à Republ. subsidiis, tantò majore fiduciâ, minoreq; periculo iri posset in colluviem istam, satis

Fortunā non urgent victores.

interim

interim suis & discordiis internis relinquendam. Krzyvonossium prioris diei clades haud facilè dixerim, turbaveritne magis an irritaverit. Equidem postero die rursùm suos versus locum, pridiano adhuc sanguine cruentum, duxit. Sed inter trajiciendi tamen aggeris tentamenta minasq; tùm suam tùm adversam aciem diu tenuit suspensam. Posteà firmatis ad expiandum dedecus hesternum animis, haud dubiè & de discessu pedestrium copiarum aliquà edoctus, commotis castris universis & simul machinis in hoc, quod residuum erat exercitûs, invehebatur. Duplici autem agmine procedebat. Dextro latere carrago ducebatur, cui tuendæ circumfusa ingens turba, aggere trajecto in camporum subjecta prodibat. Qui trajectu superato, latus sinistrum obtinuerant, primi ad pugnam se parare jussi sunt. Polonorum acies ita ordinata est, ut dextra ala Tiskievicio, sinistra Visniovecio ducenda contingeret. Convenerat autem inter hos, minimè impedire transitum hostis. Imò & gradum paulatim, integris ordinibus, referre jussus est miles: quò securius solutiusq; hostis insequeretur nostros, quos fugere existimaret. Ac pulchrè utiq; processit dolus. Fugere enim Polonos rata multitudo hostilis,

Crzyvonossius retentat fortunã.

Iterùm vincitur Crzyvonossius.

undiquaq; per udum & ad gradum instabile solum proruebat. Ubi tempestivum visum est, vertêre vestigia Poloni, atq; in hostem non cogitantem ire cæpêre. Inter primos ipse Dux cum equitatu in frontem adversam erupit. Explosis semel sclopis illicò ad gladios res devenit. Quos maximo ardore impetuq; dùm rotant Visnioveciani, quæ obvia erant hostium agmina, ubi nequicquam sclopos exonerassent, turbata primùm, mox non tam pugnæ quàm cædis fuêre materies. Et eodem terrore mox perculsi proximi terga pariter dabant victoribus. Palantes plerosq; & trepidos hausit gladius: ita ut ad sesquimilliare usq; cadaveribus omnia opplerentur, Ruthenorumq; lacernis albescerent campi. Plurimos in aquas & invia paludum pavor egit. Tormenta sex majora tum adempta sunt hosti, Signa militaria quadraginta, atq; inter ea aliquot in clade Corsunensi amissa, inprimis illud, quod aulica Calinovii Campiductoris turma duxerat. Captus etiam Pulianus, non postremæ notæ Centurio, & omniũ ferè, quæ inter Cosacos agitabantur, conscius particepsq;; Qui à Baranovio Dapifero Braclaviensi adductus, seu verè, seu, ut tormenta effugeret, enunciavit, *monitũ à Chmelnicio Krzyvonosium, ut mora-*

ut moraretur Lachos, dum ipse Paulaco, ubi hucusq; hæreat, promoveret castra. Ita eo tempore sinistra aciei hostilis ala insigniter profligata atq; accisa est, victoriâ eo memorabiliore; quod pauco hinc sanguine constiterit. In primo tamẽ incursu Visnovecius, dum acerrimè pugnã ciet, duos primariæ notæ ductores amiserat, Mokrscium Tribunum, & Casparum Curossium prætoriæ turmæ subpræfectum. Dextram hostium alam pariter ingens terror pervaserat, ut qui istic erant, æquè fugam capessituri fuerint, nisi carragine desertâ in manus Polonorum circumsultantium incidere metuissent. Verùm & in illo carraginis angusto conclusos haud levis tenebat metus: parumq; aberat, quin plebs infelicia seditionis cæpta jam abominans, in præfectos insurgeret, vinctosq; in pretium suæ incolumitatis traderet Polonis. Seriùs posteà id Ducibus innotuit, alioquin hæc ipsa castra tùm, extremâ haud dubiè hostium pernicie, fuissent aggressi. Sed hi carraginem non perfunctoriè instructam conspicati, pedite inprimis & machinis oppugnandam credidêre. At peditatus unà cum impedimentis retrò ad pagum Rossolovvee missus, ad duo milliaria à loco pugnæ jam aberat. Hic si Polonis ita feliciter pugnantibus adfuisset, non

Carrago Cosacorum tantùm non capta.

Hostis eluctatur malo Poloniæ fato.

non dubitatum, modico illo septem circiter millium exercitu debellari Krzyvonossium, & in hoc universam rebellium fortunam impelli ac comprimi potuisse. Ea rei agendæ occasio postquam effugerat, nihil visum conducibilius, quàm ista duplicis palmæ decora portantem, sed & fessum jam laboribus exercitùm reducere, antequam ab infinitâ illâ multitudine circumvento, commeatus & subsidii è Poloniâ spes interciperetur. Cùm abiissent illi, flumen impunè trajecit hostis, & mox Constantinovum urbem defensoribus vacuam occupavit, & deniq; illâ Urbis parte, quæ Poloniam respicit, fixis, valloq; & fossâ circumductis castris, consedit.

Chmelnicii nuncii cum literis Varsaviam perveniunt.

Ad eum modum dum Russicæ quaterentur provinciæ, Varsaviam interim nuncii illi, quos supra à Chmelnicio ejusq; exercitu ad Regem, cujus mortem tum nondum intellexerant, cum literis missos diximus, pervenerant. Qui simul ad Regem, tum Regni Mareschalcum, posteà Palatinum Ravensem Lucam Opalinscium ætate & meritis gravissimum senem, nec non ad Regni & M. Duc Lithvaniæ Cancellarios, epistolas ferebant, ejusdem ferè cum alteris ad Regem scriptis argumenti: *excusatrices* nempe *facinorum, in quæ atrocibus Præfectorum,*

fectorum Judæorumq; præcipuè injuriis compulsi essent. Quorum ut modum ipsi, à Kisielo Palatino moniti, sibi posuerint, ita veniam se jam poscere, rogaréq; simul, ut remissis intolerandæ servitutis oneribus, antiquæ libertati restituantur.

Sed quoniam in his libris Judæi, ut non minima belli hujus causa, & simul pars calamitatum, subinde memorantur, fortasse non abs re fuerit, de eo hominum genere quædam altiùs repetere. Judæi, gens olim DEO dilecta, postquam missum cœlitùs Servatorem occidere, quam amplecti maluêrunt, gratiâ omni Divinâ, & hinc non tantum libertate, sed terrâ etiam patriâ excidêre. Neq;, post destructam à Tito urbem sanctam, ullum amplius illis ad restaurandam solii antiqui, sacrorumq; suorum sedem patuit postliminium; adeo usq; flagrante in perfidos irâ DEI, ut nec contumaciam in illis, nec pœnas contumaciæ cessare hactenus voluerit. Dispersi per omnes pænè Orbis partes agunt, nusquam honoris ullius, aut muneris publici participes, ubiq; supra exulum sortem contempti, exosi & injuriis plerumq; expositi. Nec cultu agrorum aut artibus laboribusve decoris, sed sordido ut plurimum quæstu vitam tolerant, magnam partem laniones,

Digressio de Judæis.

aut institores. Spectatiores inter ipsos immani fænore, aut vectigalibus rem faciunt. Aliqui ad opima etiam commercia exsurgunt, cæteris mercatoribus plerumq; graves, quibus victu tenui viliq;, tum & vigilantiâ ac sagacitate, plerumq; etiam pravis artibus lucrum præripiunt. Poloniam gens ista multis retrò seculis habitat, non alibi usquam liberalius exilium experta. Primum ejus seminarium Boleslaus Dux Calissiensis in majoris Poloniæ oppida aliquot, præsertim Calissium, recepit ex Germaniâ: Unde linguam hanc, etsi corruptam, usq; etiam retinent, quotquot usquam per Poloniam fixêre sedem: peregrino sermone secreta sua inter se faciliùs celantes. Sed nunquam benignius habiti sunt quàm sub Casimiro magno, qui mulierosus cum esset, inter alias pellices Estherem habuit; quæ gente Judæa, favore, quo apud Regem valebat, ad erigendam popularium suorum fortunam scitè usa est. Unde multas immunitates adepti, per omnes Regni provincias sese diffudêre. Eâ inprimis supra omnes & indigenas & peregrinòs prærogativâ superbi, quòd nullis Urbanis magistratibus, neq; etiam Satrapiarum Regiarum Præfectis parere tenentur, sed jura sua à solis Palatinis accipiunt. Quos muneri-

bus ap-

bus apprimè delenire sciunt; ab omni onere civili ac militari immunes: nec ad tributa alia, nisi quæ publicis Regni Comitiis decreta fuerint, trahuntur. Porrò parsimoniâ victus & præproperis impuberis etiam ætatis nuptiis, quantum robur gentis libidine infringitur, tantum fertilitas & multitudo augescit. Inde magnam partem Urbium Regiarum implevêre, liberrimè quovis modo quæstum, tum & sacra sua publicis Synagogis exercentes. Eâdem libertate minora oppida incolunt, invitantibus eos aut certe non respuentibus plerisq; nobilium & Magnatum, dum frequentiam coloniis suis conciliare quærunt. Et quoniam cætera ferè plebs solitâ ignaviâ socordiâq; in diem plerumq; vivit, eò magis illorum sobrietas & solertia Dominis fundorum probatur. Nec obstat, quòd artibus suis cæteros incolas & corrumpant & exhauriant. Nam & potulentis, quæ præcipuè ac pæne soli vendunt, in bibacitatem per se pronos stimulant, & usuris enormibus pecuniæ egenos emulgent. Iidem plerumq; cauponas heriles, molendina, item, uti & prædia, integrasq; subinde præfecturas conducunt, supra pretium, quod Locatoribus pendunt, ingentia sibi compendia ac lucra, non sine multo plebis ru-

ſticæ onere, trahentes: conniventibus ad iſta Dominis, illis præſertim qui ad ſubita neceſsitatum non aliunde ferè, quam à Judæo pecunias quærunt. In Rusſia utiq; ubi magna rerum, non item nummorum affluentia eſt, pluſculum iſtis hirudinibus facilitas Magnatum, his præſertim temporibus, indulgere viſa eſt. Eâq; fiduciâ Judæi, conductis ſubinde potulentorũ aliarumq; rerum proventibus monopolia ante inuſitata moliri cæpêre: Edicta plerumq; à Præfectis eblandientes; quibus ſubditi alii eos, quos posſent, domi potûs conficere vetabantur, ut ita eosdem pretio, quale Judæus poneret, quisq; cogeretur mercari. Atq; ea ſervitus paulatim ad Coſacos quoq; extendi cæperat, quantumvis vetera Regum privilegia obtendentes, quibus homines militares ab iſtiusmodi oneribus eximantur. Verum alii, non toties rebellibus, ſed in obſequio manentibus gratiam Principum ſervire regerebant, publicæq; rei intereſſe arbitrabantur, libertatem iſtorúm ſenſim magis magisq; attonderi: Parte utrâq; ſat ſpecioſis coloribus cauſam ſuam agente, donec fatis diſpenſantibus, tempus ſubiit, quo controverſia incaſsùm rationibus agitata, judice gladio decidi cæpit, neq; ſic tamen forſitan, niſi
plurium

plurium annorum vicisſitudinumq; intercurſu terminabitur. Sed ego à Judæis ad Coſacorum nuncios, quos Varſaviam veniſſe memoravimus, revertor. Hos verò ad inſtantem ordinum conventum retinendos cenſuit Cancellarius. Ad literas per eos allatas Archiepiſcopus ſine morâ reſpondit in hanc ſententiam. *Ex iis, quæ Coſaci partim ſcripſisſent ad Sereniſſimum Regem, nunc cœlitem, partim etiam nunciis ſuis coràm agenda dediſſent, intellecta ſibi, quæ moleſta ipſis contigisſent hactenus. Et ſe quidem iniqua illa aſperáq; toleratu haud diffiteri: ſed aliis profectò modis amolienda fuisſe, non tali ſanguinis profuſi impensâ, non junctis cum infideli hoſte armis, & objectâ ejus libidini tantâ Chriſti ſangvine redemptorum hominum multitudine. Gratam tamen ſibi ipſorum de malè actis pœnitentiam, ſed eam, prout apud Regem defunctum teſtatam illi voluerint, ita coram Republ. à Regibus ſuis nunquam dividuâ, teſtandam fuisſe. Non dubium, illam ut benignam matrem in redeuntes ad obſequium, & ſocietatem Tartaricam exuentes, oculum reflexuram. Sibi ſine conſenſu totius Reipubl. tàm ardua negotia, quale ſit ipſorum, nefas esſe tranſigere. Sed inſtare conventum, orbato, optimi Rectoris morte, Regno, rebusq;*

Chmelnicii literis reſpondet Archiepiſcopus.

turbatis consulturum. Ad hunc ablegandos hos feciales; aliosq; insuper, resipiscentiam ipsorum pleniùs exposituros. Firmiora futura, quæ universæ Reipubl. comprobatione sancita, tum retulerint. Cæterùm mirari se, quî tàm malè literis ipsorum respondeant facta, quæ famâ constantissimâ afferantur. Nimirum hîc veniam & pacem orari, alibi ferrum stringi, & in Regni incolas atq; oppida modis infandis sæviri, jubente, certè non inconsultò ipsorum ductore. Cohiberent, si fidem sinceri ad obsequium reditûs facere velint, licentiosè grassantium globos, & autores novissimorum facinorum castigarent. Captivos prætereà, quos vel ipsi vel Tartari in vinculis haberent, libertati redderent. Id hominibus Christianis dignum facinus, id recti in communem patriam affectûs indicium & pignus fore.

Cosacis Cancellarius respondet.

His literis Magnus Regni Cancellarius alias suas, sensùs prope ejusdem, addidit. *Percepta ex literis ipsorum & cum curâ expensa sibi ea, quæ excusando inconsiderato & præcipitis audaciæ facinori suo afferrent. Exercitui Zaporohiano favisse se semper, virtutemq; ejus & quæsita multorum annorum laboribus, perpetuâq; in Reges & Rempubl. fide décora, etiam Regi defuncto commendâsse. Eò acerbiùs jam sibi, illos fidei & parta*

partæ in Republ. existimationis immemores, in repetendo, quod habuerint aut prætendant, jure, viam ingressos, orbi Christiano tristem, & abominandam omnibus; inito videlicet fœdere cum internecinis Religionis & Reipubl. hostibus: Pronius sine dubio & laudabilius ipsis ad Regem suum tot beneficiis cognitum, quàm ad Christiani nominis adversarios & pestes, patuisse perfugium. Jus legitimè petentibus non defuturam fuisse sui & animi benevolentiam, & muneris autoritatem. Nec impunè abituros, quos injuriarum violatæq; ipsorum libertatis reos inquisitio deprehendisset. Jam data à se præludia, cum sub ipsa anni hujus auspicia, vivo & jubente Rege, judicium recuperatorium designâsset, cognoscendis ipsorum injuriis. Cæterum, quia facinorum, quæ non sponte, malè tamen facta ipsimet confiteantur, veniam à Republ. postulent, etiam nunc se apud Ordines (brevi consiliorum causâ coituros,) efficere conaturum, ut faciliùs & expiare crimen â se commissum, & laudabilibus inposterùm ausis labefactã fidem famamq; resarcire possint. His literis præmissis, reliqua à conventu expectare jussi sunt nuncii. Quem quovis Interregno ante Electionem haberi solitum, necessaria tum Reipubl. tempora festinari postulabant. Tempore itaq; du-

Convocatio Varsaviæ habita. dum definito, hoc eſt, XVI. Julii, convenêre Senatores Regni, magno numero, & cum iis delecti à Nobilitate viri, quibus ſuorum Palatinatuum poſtulata deferre, & agere cauſam incumbebat. Ac primò dies aliquot extracti ſunt piis erga defuncti Regis manes officiis, tum luctûs communis, coram Reginâ viduâ & Sereniſſimis fratribus Defuncti, conteſtationibus. Quæ per Andream Gembicium Epiſcopum Luceorienſem, & Sbigneum Goraiſcium tum Caſtellanum Chelmenſem, factæ. Poſteà literæ cùm aliorum, tùm inprimis Chani & Coſacorum publicè prælectæ: à Kiſielo deniq; Palatino exordia tumultuum facundè expoſita, tum ſimul legationis ad Moſchos feliciter obitæ ratio ab eodem reddita eſt. Hinc ſententias ſuper Reipubl. negotiis & periculis dixêre Senatores, præeunte omnibus Archiepiſcopo. Inde tandem ad tribunitia ordinis Equeſtris ſuffragia cum deſcenſum eſſet, ab aliis alia illata, ut maximè neceſſaria & præ aliis curanda. Sed potiores & periculi publici intelligentiores, inter primas curas expeditionem nunciorum Coſacicorum eſſe voluêre. Quorum ſententiam Senatus juvit erexitq;: miſſis in illorum conclave binis egregiæ autoritatis Caſtellanis Zavviechovienſi, Kochavonio, & Chel-

Coſacicorum nunciorum expeditio urgetur.

& Chelmensi Sbigneo Goraiscio. Introductos itaq; tandem nuncios interrogavit, urgente ordinis Equestris consessu, Boguslaus Comes de Leszno, consessûs istius moderator, de nonnullis in instructione, ipsis à Chmelnicio datâ, repertis: inprimis verò ubi sint *literæ, quarum Chmelnicius in instructione faciat mentionem, à quo scriptæ, quo Regni annulo signatæ? Deinde cujus autoritate permissum sibi ferant Cosaci, exercitum suum sex millium accessione augere? Quis potestatem iis fecerit retentandi intermissam tot annis Ponti Euxini navigationem? Quis pecuniam suppeditaverit ad parandos lembos necessariam? Nuncii nullas sibi literas commissas, respondêre, præter quas Archiepiscopo, Magistro Aulæ seu Mareschallo Regni, Magno deniq; Cancellario reddidissent. Nec ad cætera quæsita, quod respondeant, habere se, illos, à quibus missi essent, percunctandos.* Multis tali ignoratione seu reticentiâ secretorum non placuêre hi nuncii, tamen comiter, quia tempora svadebant, ex consessu, & postero die, Varsaviâ dimissi sunt: responsum ferentes ab ordinibus Reipubl. universis, haud dissonum ab iis, quæ antea Archiepiscopus & Magnus Cancellarius scripserant. *Nimirum literas ipsorum, quas ad defunctum Re-*

Nuncii examinãtur.

Ordines Poloniæ scribunt ad Casacos.

gem exarâssent, ad se, quibus post obitum Regium universæ Reipubl. negotia incumbant competantq́; delatas, inq́; iis supplices preces, quibus magnorum & Deum juxta ac Rempubl. gravissimè lædentium, facinorum veniam rogent. Non opus esse verbis dilatare quæ ab ipsis admissa sint. Ipsos confiteri, violatum à se omne fidei divinæ ac humanæ sacramentum, quando factâ cum infestâ Christianæ rei gente conspiratione, in exiguam Reipubl. manum, eamq́; divisam, vim & sævitiam exercuerint. Ac adesse equidem Dei beneficio Reipubl. vires, sumendæ de tali hoste ultioni pares; & cœli profectò favorem divinæ æquè ac suæ injuriæ vindicibus Polonis haudquaquam defuturum, contra eos, qui Rempublicam, cui debuerint obsequium, perfidiâ lacessant. Cæterùm sanguinis humani reverentiâ, tum humili ipsorum post patrata facinora submissione, ad meliora se flexos, destinâsse jam Recuperatores, viros insignes, qui voluntatem Reipubl. super eo negotio luculentiùs explicaturi sint. Interim jam nunc quoq́;, de suâ in ipsos tanquam subditos clementiâ aut commissorum condonatione non dubitandum, dummodò ipsimet firmam satis sinceræ de commissis pœnitentiæ fidem faciant. Facturos autem, si captivos quos habeant, quàm primùm dimittant.

Duces

Duces verò rebellium globorum Russiam nunc passim pervolitantium, & in nobilitatem præcipuè sævientium, Recuperatoribus sistant: quicquid deniq; sit societatis aut fœderis, quod cum Tartaris susceperint, abjiciant. Quæ alia transigenda cum ipsis restent, Recuperatoribus se commisisse, quos modestis animis exspectent, ab omnibus interim injuriis abstinentes, & nullâ infestâ amplius manu, Regno vel Mag. Lithvaniæ Ducatui graves. Postremò cùm in formulâ commissorum (vulgò instructione) nunciis suis datâ, mentio facta sit literarum, tum privilegiorum, istorum nihil Ordinibus redditum esse. Et sic quidem ad suos remissi, quos Chmelnicius post victoriam Corsunensem Varsaviam miserat, pacis Oratores. Quos proprid. Cal. Augusti durante adhuc conventu, Kisielus Palatinus turbarum Cosacicarum pacator destinatus, cum collegis supra nominatis, insecutus est, comitante eum Serenisſ. Principis, postea Regis Joannis Casimiri, cohorte. Nam his ipsis seditionibus, res quoq; Palatini adeò accisæ erant, ut itineris sui securitati, functionisve susceptæ dignitati suis opibus consulere non sufficeret.

Kisielus mittitur ad Cosacos.

Cæterùm amoto hoc primo & Rempubl. omnium maximè urgente velut lapide, tantò

de, tantò tranquillioribus animis, in alia, quæ in iſtiusmodi conventu agi conſvevêre, itum eſt. Et poſt multas plurium dierum concertationes, quæ à tantâ ſentiendi disſentiendiq; libertate abeſſe vix ſolent vel posſunt, in hæc tandem capita, quæ propter curioſiores apponere libet, conventum eſt.

Confœderatio Ordinū. *Primùm omnium, ad morem antiquum, à quo & Confœderationis nomen huic Conventui inditum, omnia Regni, ex tot diverſis Nationibus coaliti, membra & ordines omnes, in commune concordiæ ac pacis mutuæ fœdus novo & ſanctisſimo nexu conſpirant, abdicatâ ultrò & quodammodo ejuratâ copiâ à reliquo corpore ſecedendi, ſeorſimvé ullis ſtimulationibus vel modis, publicæ Electionis libertati damnoſis, quenquam, non expectato unanimi omnium Ordinum conſenſu, Regem nominandi, vel deniq; ante jurium, privilegiorum, immunitatum confirmationem ſacramento factam, pro Rege recipiendi audiendivé. Qui ſecus faxit, pro hoſte patriæ habendum. Ac cum ab orbitâ legum juriumq; non parum diſcesſum ſit, ſpondent ſibi mutuò, non accesſuros ſe ad Electionis ſuffragia, aut cum Canditatis pacta, niſi ſanatis primùm Reipubl. ac libertatis vulneribus, & exorbitationibus, quas ullæ*

Regni

Regni provinciæ publicè privatimvé factas ostenderint, correctis & sublatis.

Inprimis Religionis diversitatem nemini fraudi fore, stipulantur, fidem, honorem & conscientias inter se obtestati. Decreta etiam Tribunalitia, vim legis, & adversum quid isti libertati spirantia, mandata item Regia, pacem Religionis luxare aut convellere visa, abrogant; & ne post-hac fiant, cavere pollicentur. In quibuscunq; urbibus Regiis publicus & solennis sacrorum usus dissidentibus in Religione antehâc usitatus fuerit, eundem pariter deinceps licitum esse; ubi is exulaverit hucusq; tumultibus amoliendis, posthac etiam exesse volunt: ita tamen ut privatim sacris suis operari peregrè advenientibus fas sit. In violatores verò securitatis dissidentium, cùm antehac anno 1631. acris lex lata fuerit, eam istius insuper conventûs autoritate firmant, denunciatâq; promptiori in peccantes inposterùm animadversione stabiliunt, ordine sacro quantumvis obnitente. *Sacrorū cavetur libertati.*

Ecclesiæ Russicæ, Religionis suæ, in quâ illa gens olim cum Regno Poloniæ coaluerit, jura & privilegia antiqua firmantur, addito insuper, si quæ sub Rege defuncto labefactata, vel imminuta sint, ut futuro Electionis Conventu in integrum restituantur, & citra contradictionem aut etiam disquisitionem, futuro *Ecclesiæ Græcæ jura.*

turo Regi tuenda exequendaq; commendentur.

Judicia constituuntur. *Posteà justitiæ administrandæ curam intendunt, mutuò sibi ingeminantes, ut in Regnis nunquam, ita multò minùs in Interregnis, quibus ferè, ut criticis diebus, corpora Regnorum debilia maximè, mutationiq; opportuna sint, legum autoritatem hebescere debere. Sententiæ itaq;, ante publicationem mortis Regiæ ab Archiepiscopo factam, quocunq; in judicio legitimo latæ, pro ratis habentur: contractus, testamenta, protestationes, relationes etiam post publicationem mortis Regiæ, apertis de consensu Palatinatûs vel territorii cujusq; libris publicis insertæ, pro legitimis promulgantur.*

Judicia sub interregno instituta, (quæ à velo magni luctûs indice Capturalia dici solent) sanctiones, & consilia omnia, ad defensionem patriæ, conflationem æris in delectús militares, juris deniq; tuitionem instituta approbantur firmanturq; ; additâ tamen conditione, ne vel publico vel privatorum etiam aut spiritualium, ærarii deniq; publici juri quicquam derogent.

Lithvanica porrò, si quà à cæteris abeunt, aut extra fines antehac usitatos extenduntur, ne in exemplum posthac trahantur, aut juri communi noxam, solvendævé uniti corporis compagi occasionem afferant. (Ele-

Electioni Regis sextam Octobris diem, locum propè Varsaviam à Mareschalcis aggere subitaneo circumducendum, assignant, id caventes, quod lege anno 1587. latâ cautum sit, ne quisquam peregrinis hominibus, vel machinis bellicis instructus veniat. Cætera ut ad modum & institutum majorum, Anni inprimis 1573. revocentur, & si quæ dubia, vel sequius facta, ea ut sub ipsa Electionis auspicia primis congressibus emendentur componanturvé. *Electioni tempus adsignatur.* *Electionis leges.*

Cavetur pariter, ne ab euntibus ad Electionem vel jam præsentibus vis aut injuria cuiquam inferatur; illata ut cognoscatur à Judicibus in id primo statim conventûs die delectis ac juratis, inter quos Regni & Mag. Ducat: Lithvaniæ Mareschalli futuri sunt.

Thesauro Regni Cracoviæ asservato, tum & Lithvanico, lustratores, viri ex Senatu & Nobilitate primarii designantur.

Pacta cum Principibus & Regnis vicinis antiqua renovari, incerta stabiliri, missis in id, sumptu publico, sed modesto, legatis, imperantur, inprimis verò repetundarum à Tartaris cura commendatur illi, qui ad Turcam iturus esset.

Militiæ autem præfecti coram Belli arbitris seu Commissariis adigi jubentur in tale sacramentum: Ego N. juratus spondeo, me *Militiæ præfectis dantur exercitui leges.*

exercitui mihi tradito fideliter præfuturum, & operâ illius ad reprimendas hostium invasiones usurum, Regni fines tutos, dignitatem & securitatem Reipubl. pro viribus indemnem inviolatamq; præstiturum: si, quod Deus avertat, Regnum seditio invaserit, nulli parti adhæsurum, damna incolis Russiæ, Poloniæ, Voliniæ &c. nulla illaturum, & ne à militibus inferantur, omni ratione provisurum. Pensiones verò tam ab Ecclesiasticis, quàm aliis personis quibusvis, nullas omnino exacturum, & ne milites exigant, curaturum. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Crux.

Iidem Præfecti militiæ, exercitum Reipubl. in viscera Regni seu totum, seu partitè, sub tempus præcipuè Electionis, & in locum huic destinatum admovere prohibentur: si secus faxint, pro hostibus patriæ declarantur.

Consiliarii adduntur præfectis

Ut belli res consilio maturiore procedant, præfectis militiæ pro Consiliariis seu Provisoribus, nomine Commissariorum, triginta sex ex primoribus Senatûs & Nunciis terrestribus adduntur: quibus extra ordinem adscriptus est Christophorus Arcissevius, ille, qui annis superioribus, rebus in Brasiliâ gestis apud Batavos florentissimus, in patriâ tum rei tormentariæ curam gerebat. Lithvaniæ Ducibus bellicis quinq; millium exer-

citum

citum conficere, coërcendæ Cosacorum, illi quoq; provinciæ imminentium rebellioni, permissum: sed simul, ut is sub rectæ disciplinæ fræno habeatur, severè injunctum. Ubi exercitu postea opus non fuerit, numerato stipendio dimittendum; aut ad ferendam Poloniæ laboranti opem, suis à Ducibus, & integrâ eorum potestate mansurâ, ducendum. Arcis præterea Smolenscensis cura & reparatio imperatur iis, quorum id muneris sit. Adhæc quia turbatissimæ nunc Reipubl. negotia præsentissimis consiliis & magnis adjutoribus egeant, Archiepiscopo Gnesnensi, cui ut primati suprema autoritas relinquitur, adduntur ex Senatu & Ordine Equestri Consiliarii, viri dignitate, & prudentiâ pollentissimi; quorum curæ committitur, Legatos externos recipere, ad subita necessitatum Reipubl. excubare, reservatâ in gravioribus, ad Electionis conventum, decisione.

Lithvanicæ militiæ præfecti.

Smolenscum.

Corpori etiam defuncti Regis, ut honos suus à memore meritorum Republ. constet, ei adesse & quæ decus Regium postulet, administrare primariæ dignitatis viri, præcipuè ex Aula continuis Mareschalci & Cancellarii jubentur.

Cadaveris Regii honori cavetur.

Quod si hostis potentia adeò ingravesceret, ut præsentes Reipublicæ exercitus ei cohibendæ

Expeditio Generalis.

hibendæ non sufficiant, expeditio publica jam nunc indicitur, quò ad eam omnes parati sint: & ubi Archiepiscopus cum Consiliario Senatu tempus definierit, ut ritu majorum sine divisione belli, loco, qui nominatus fuerit, adsint sine morâ.

Descriptio militum tam à Republ. quàm particulatim per Palatinatus autoratorum in castris institui jubetur; simul & Palatinatibus stipendiorum suo militi tempestivè numerandorum cura mandatur, eum verò militem non nisi, cum Comitia Coronationis Reipubl. non necessarium judicaverint, exautorare permittitur.

Exercitibus leges præscribuntur.

Exercitus ab Electionis conventu procul esse, ubiq; verò ab injuriis abstinere, & bonis Nobilium, Ecclesiasticorum, Regiis præcipuè Oeconomiis, innoxii agere jubentur, præsentissimâ in delinquentes pœnâ sancitâ.

Thesaurariis interdicitur, tributa Regni sine scitu Archiepiscopi & ejus assessorum, aut aliò, quàm in stipendia militum publicorum erogare.

Reginæ viduæ reditus mensæ Regiæ destinati, usitati item salinarum & vectigalium proventus relinquuntur, usq; ad exequiarum Regiarum tempus. Omnium tamen ratio à Thesaurariis poscitur, in Comitiis Coronationis reddenda. Salinarum simul Cracoviensium

coviensium ruinis remedia festinari jussa, commisso eas lustrandi negotio, tribus eximiæ dignitatis & virtutis viris: Hieronymo Milonscio Castellano Rospirensi, Stephano Coricinscio Osviecimensi Præfecto, Joanni Schlichtingio Judici Wschovensi.

Palatinis insuper & præfectis arcium limitanearum, ut intra loca ista, hostium conatibus proximè patentia, maneant, edicitur.

Arci Cracoviensi trecentorum militum præsidium, inde toto hoc Interregni tempore non abstrahendum assignatur; simul ut pyrii pulveris & aliorum belli apparatuum sufficiens copia eò inferatur, Christophoro Arcissevio, cujus paulò ante mentio facta est, imperatum.

Turbarum Cosacicarum compositio demandatur Adamo Kisielo Palatino tum Braclaviensi, postea Kioviensi, cui collegæ adjunguntur Franciscus Dubravius, Alexander Sielscius Posnaniensis tum Dapifer, Theodorus Obuchovicius, viri omnes facundiâ & meritis in Republ. insignes. *Cosacicæ turbæ componi jubentur per commissarios.*

Quia incertum habeatur, quantum ex cæso Reipubl. exercitu, quem Quartanum vulgò vocant, supersit; numerum superstitum inire jubetur scriba Castrensis, adjunctis, qui curam socient, quinque Equitibus.

Legiones jussu Archiepiscopi à Tribunis nonnullis, inprimis Christophoro Przyjemscio, claro natalibus, & Germanicâ Gallicâq; militiâ ad patriæ usum apprimè exercito, coactæ approbantur.

Urbium quarundam jus ad Electionem. *Quia urbes nonnullæ jus Regis, juxtà cum aliis Regni civibus, eligendi habere gloriantur, iis ad suffragiorum libertatem aditus non ante permittitur, quàm jus illud suum, quod prætendant, liquidum fecerint.*

Palatinatibus singulis certi dies conventuum, quibus hactenus acta, relictis domi civibus, seu, ut se mutuò appellant, fratribus referenda essent, definiti.

Lithvaniæ expeditio generalis. *Magnus verò Ducatus Lithvaniæ, qui ante, cum de expeditione publicâ ageretur, ampliùs inter suos domi deliberandum censuerat, in tributum ultrò consensit, aliis Palatinatuum quaternas agrarias, aliis ternas binasve promittentibus. Civitatibus bonisq; aliis Regiis & Ecclesiasticis quaternæ agrariæ, totidem Judæis, sed in singula capita, exactiones imperantur.*

Tributa *Tributa deniq; omnia, tam ea, quæ in ærarium Reipubl. illata, quàm quæ singulorum Palatinatuum administrationi hucusq; relicta essent, in delectus militares, ad arbitrium militiæ Præfectorum erogari jubentur.*

Hæc

Hæc autem omnia, antequam universo conventui allubescerent, magnis sanè animorum motibus & laterum contentionibus agitata sunt. Inprimis Religionis negotium multas dabat turbas: dissidentium quovis libertati suorum sacrorum, quò justius timere videbatur, eò fulcra solicitiùs quærente. Ac satis quidem omnium securitati superiorum Interregnorum confœderationibus cautum videbatur; adeò etiam, ut Episcopi, & quotquot flagrantiore in Ecclesiam Romano-Catholicam studio agerentur, nimium cæteris indultum putarent. Hi verò factam à decessoribus concordiæ ac pacis contesserationem urgebant: tolliq; exceptiones volebant, quibus obrogari confœderationi illi, & cum injuriâ partium infirmiorum contraveniri querebantur; fidemq; adeò promissam, & legis, quâ pax religionum niteretur, assertionem declarationemq; minus patentem effugiis postulabant.

De libertate Religionis controversiæ.

Sed magno quoq; æstu, in hoc conventu, provinciarum internuncii in extraneos efferbuerant, quibus præcipua munerum, in Aulâ, multis ab annis, dari indignabantur. Et parum abfuit, quin aliqui istorum exauctorarentur, ægrè à magnis Senatoribus, Episcopis præcipuè, protecti. Nec ante quie-

Extraneos remotos volunt quidam.

te quievit oppugnantium ſtrepitus, quàm promitteret Archiepiſcopus, illos ſaltem extraneorum, qui alibi larem fixiſſent, à negotiis Regni inpoſterùm prohibitum iri. Non parum deniq; cum Pruſſicis internunciis negotii fuit, idq; duplici nomine. Primum quidem, cum de Sanctionum omnium ſub Interregno hoc per provincias factarum approbatione ageretur, nunciorum unus, Ignatius Bonkovius, vir facundiâ & rerum uſu ſpectatus, ob inſignes dotes poſthàc Palatinus Pomeraniæ creatus, approbationi illi haud ante ſubſcripturum ſe pertendit, quàm addita foret cautio, juribus Pruſſiæ, quæ hæc terra ad Regnum peculiaria attulerit, & adhuc ſervet, nihil illâ ſanctione deceſſurum. Et quamvis huic poſtulato à plurimis intercederetur, evicit is tamen, ut lex iſta ad ſolius Poloniæ provincias reſtringeretur. Alterum de quo ſub finem conventûs cum iisdem Pruſſis diſceptatum eſt, portorium Pruthenicum fuit, quod ex mercium exoticarum proventu, partim Regi, partim urbibus, in quibus colligitur, cedere ſolitum, cum delectibus faciendis ab Archiepiſcopo ejusq; collegis deſtinaretur, negabant internuncii, tempore Interregni, ab urbibus illis in ærarium Reipubl. debere inferri. Cumq; lis illa finiri

Pruſſorũ querelæ.

niri aliter non posset, quicquid etiam pro ærario dicerent magnæ autoritatis viri, recipiendum fuit Archiepiscopo, se scriptis literis Elbinganos & Gedanenses moniturum, ut tam necessario Reipubl. tempore, istud exhausto ærario subsidium ne denegarent.

Antequam Varsaviâ in Russiæ extrema, hoc est à finito Convocationis Conventu ad Cosacos redeam, par erat divertere aliquantùm in Lithvaniam, cujus res quanquam haud dubiè suum seorsim, ut meruê, re, scriptorem aut habent, aut habebunt, à Polonicis minimê divellendæ sunt. Ea enim regio, æquis legibus & pari per omnia libertate Poloniæ innexa, magnam Russiæ Polonicæ partem olim sibi bello imperioq; subjectam tenuit. Quæ hodieq; Russia Alba appellatur. Incolas verò Ducatus penè totus earundem cum Russis cæteris consvetudinum, ejusdemq; in sacris ritus habet, Eò facilius nunc quoq; seditionum hæc contages, inter vicinos, & genii morumq; similes, transmissa diffusaq; est. Ac primum ultra Borysthenem, cum Visniovecius Dux prævalidæ seditiosorum multitudini se & quotquot sibi fidos perfidisq; invisos videret, inde subduxisset, pestis illa sine impedimento omnes illas oras

Lithvania à Cosacicis turbis non libera.

Lithvaniæ finitimas pervasit, idq; tantò effrænatiùs, cum bina militum signa à Mirscio excubiis Lithvaniæ præfecto, ad occupandum Berezynæ fluvii trajectum missa, subitò furibundæ multitudinis accursu circumventa atq; obtrita essent. Inde sumpto impetu hostis in viscera Lithvaniæ progredi tentabat, haud ignarus, omne istic vulgus, simili religionis œstro agitari. Et magis mox erupturum, ubi ex Ukrainâ propinquarent, qui plebem istic armaverant. Eâ spe, Bichovum, vetus Chodkeviciorum hæredium, situm ad Borysthenis ripam, & præaltis aggeribus munitum decem millia Cosacorum, ductore Orcussâ, promptos sibi oppidanorum animos polliciti, accesserant: sed hi destituêre illorum conatus, seu suopte ingenio fidei supra cæteros retinentes, seu quòd à validissimo præsidio custoditi, promere perfidiam non auderent. Etenim Leo Casimirus Sapicha Lithvaniæ Procancellarius loci illius possessor, ultra mille quingentos præsidiarios istic ære proprio jam dudum alebat. Qui & suggredientes hostiles catervas ita fortiter excepêre; ut majore earum parte cæsâ, quod reliquum esset, ægrè sibi fugâ consuleret. Inprimis verò Janussius Radzivillius tum Campiductor Lithvaniæ periculum Regno uni-

Cosaci ad Bichovum.

Defenditur Lithvania.

verso

verso imminens opposito Lithvanico exercitu amoliri, suarum partium esse duxerat. Kiska enim Palatinus Polocensis, summo belli in Lithvaniâ regimini præfectus, per corporis debilitatem dignitatis tantum nomen gerebat, omni armorum curâ in Radzivillium, sorore ipsius genitum, Ducem annis animisq; virentem, depositâ. Sed hic nec multum è publico æris, nec exercitum, quantum discrimina Reipubl. requirerent, dari sibi querebatur, aliis periculi magnitudinem nondum æstimantibus satis, aliis alia causantibus, & in Duce ipso requirentibus non parùm. Nihilominus is collecta vetere suorum, tum & recens, autoratâ manu ita rem agebat, ut & pronam ubiq; in perfidiæ scelus plebem, ostentato cominus periculo, compesceret, & hostē omnia latè inundaturum refrænaret. Quem etiam tandem auctis in modicam molem copiis, post velitationes haud paucas, ad Lojoviam memorabili in omnem posteritatem prælio debellavit; triginta isthic millium exercitu partim profligato, partim cæso, castris occupatis, capto ipso exercitus illius ductore Cryczevio, & mox ex vulneribus mortuo. Sed ista omnia in tempore memorabimus uberius.

LIBER III.

NUnc tandem ad Chmelnicium, quem ad Fanum Album (Bialacierkevv vulgò) reliquimus, series temporis reverti jubet. Is interim exercitum suum ex illo tractu, in quo literæ Palatini ipsum stitêre, non moverat, speciosâ satis patientiâ & fide, promissorum conatuumq; Kisielanorum eventum opperiens. Krzyvonossium separatæ colluviei ductorem, immanemq; tum Russiæ calamitatem, nec juvabat apertè, nec inhibebat. Hic verò ut relatæ nuper ad Constantinovum duplicis cladis ignominiam insigni aliquo facinore elueret, Barum aggressus est, urbem mole & operibus sic satis firmam. Et in eâ machinas, aliosq; apparatus militares depositos servari non ignorabat. Coniecpolscius Regni Vexillifer, ne loco tanti momenti deesset, legionum suarum unam, ductore Bronievio immiserat. Sed hic suspectam civium fidem habens, converso aliò itinere, locum Germanis peditibus tuendum tradit, quos in auxilium laborantis Russiæ Carolus Poloniæ Princeps miserat. Horum pars arcem, Potocio rectore, insedit, pars

Chmelnicius ad Fanum-Album patienter hæret.

Krzyvonossius vagatur.

Barum occupat.

dit, pars

dit, pars ad portas civitatis jussa est excubare. Krzyvonossius magno exercitu urbem circumvenit. Dum speculatur, quà faciendus esset assultus, oppidani seu metu, seu pridem meditatâ fraude portas hosti aperiunt. Illicò in excubitores Germanos fit impetus, & ad unum omnes trucidantur. Inde dilapsa per urbem hostilis turba quicquid usquam Germani vel Poloni militis lateret, summa ima ædium perreptando venantur occiduntq;. Non templorum, non altarium sanctitas quenquam servare potuit. Neq; mortuis furor barbarus pepercit. Judæorum magnus in eâ urbe numerus antiquitus agit, cui tum ingens advenarum ejusdem sanguinis multitudo accesserat. Cùm mortem alibi effugissent, hîc non effugerunt, miserrimis modis unà cùm hospitibus suis interempti. Periisse ejus gentis quindecim millia capita istic feruntur. Arcem ducentorum peditum manus, ducente Potocio, per quinq; dies fortiter defendit: neq; pauci istic oppugnantium occubuêre. Adeò ut tandem hostes per cadaverum suorum strues niterentur in vallum. Repulsi diu sunt, tandem tamen eâ parte, quâ stagno objecta arx hostem minus metuebat, minusq; munita erat, suggressi, quicquid reperiret præsidiarii militis,

Præsidiarios cædit.

militis, quicquid hominum non ſui generis, ferro demesſuêre, uno ſervato Potocio juvene. Barum occupatum animos Krzyvonosſio ad majora tentanda addidit. Et Cameneciam ipſam aggredi auſus eſt: operam ei ſociantibus, qui in illis Moldaviæ finibus, vitam latrocinio tolerant. Sed obſidionis iſtius opus irritum & ſupra vires ſuas expertus, ad Chmelnicium ſeu ſponte ſeu jusſus rediit. Ille, quod hominem collectis ex prædâ opibus prægravem ſentiret, fortè & Polonorum, quibus cum pacis tentamenta aliqua ipſi intercedebant, gratiæ aliquid daturus, comprehendi eum jusſit, & machinis bellicis adſtringi. Sed ubi non exiguam vim auri argentiq; & omnis generis ſpoliorum ab ipſo expresſisſet, facilè deinde adduci ſe pasſus eſt; ut eum deſiderio plebis, turboni illi nimis quàm faventis, redderet. Viſnioveçius Dux, apud Zbaraſium, oppidum ſibi gentilitium, aliquandiu moratus, & cum Potocio Palatino Podoliæ, Coniecpolſcio Vexillifero, Calinovio juniore, Czolovanſcio, Dziko aliisq; habito conſilio, ubi Barum expugnatum intellexerat, reverſus eſt ad exercitum, qui circa Camienum Czolhanſciorum dictum, & Lachovecias, Sieniutarum hæredia, tum agebat; paucitate copiarũ, quibus Krzivonosſii

Krzivonosſius Cameneciam aggreditur.

Capitur à Chmelnicio.

Sed dimittitur.

nosſii molimina & graſſationes coërcere non poſſet, tum cunctationes lentius venientium auxiliorum, & deniq; compoſitionis tardè procedentis moras ægerrimè ferens. Chmelnitio verò, uti præ aliis ſemper formidatus iſte Dux, ita tum pro pacis remorâ habitus, imò pro turbatore ſermonibus literisq; traductus eſt. Kiſielus autem Palatinus, quanquam patriæ juvandæ ſtudio æſtuans, primùm tamen publicis deliberationibus Varſaviæ, dein itineris longitudine, & deniq; viarum, quibus ad Chmelnicium per medias hoſtium catervas eundum fuerat, difficultate præpeditus, alicubi etiam cum globis oppida paſſim populantibus conflictari coactus; ſuſcepti negotii maturatione, vota nec ſua, multò minus aliorum adæquare poterat. Unde & multorum non ſuſurris tantum, ſed & publicè vocibus minùs ſecundis & literis deniq; Belli Commiſſariorum perſtringebatur. Quibus ille, ita ut æquum erat, motus, innocentem ſe multis excuſationibus probabat. Et ut re magis probaret, miſſis aliis atq; aliis nunciis Chmelnicium ſubinde urgebat, ut locum & tempus cæptando negotio deſignaret: qui tandem Conſtantinovum nominavit. Quò cum Palatinus cum collegis tenderet, mittebat iterum iterumq; nuncios

Kiſielus tardè ad Chmelnicium pervenit.

Quo nomine carpitur à multis.

nuncios de adventu suo Chmelnicium præmonituros: sed ii partim diu detenti, partim etiam, dum quidam de exercitu nostro factâ ad Ostrogiam excursione hostem offendissent, interempti, aut certê inclementer habiti sunt: ut ex epistolâ Palatini mox subjiciendâ colligere licebit. Alibi quoq; ad Luceoriam nobilitas disjicitur, & oppida plurima effræni agrestium licentiâ pervastantur. Hinc exstimulatus Palatinus literas facundi doloris plenas ad Chmelnicium scribit; in hunc modum: *cum Sanctissimæ Dei matris, nationis verò Ruthenicæ protectricis adscensioni sit sacer dies, quo tristes has & forsan extremas ad te exaro: primò omnium eandem Dei sacratissimam genitricem veneror, ut interpositis apud Filium suum precibus animum tuum mitiorem reddat, & ad hæc, quæ jam aguntur aut ingruunt, rectè introspicenda advertat. Non filio paternum, non servo herile negotium tam flagranti curæ esse potest, atq; mihi fuit id, quod Tibi & Cosacis cum Republ. est. Dies noctesq;, ita me DEUS amet, omni animi & corporis contentione incumbo in hanc causam, ex quo mihi curam ejus imponi passus sum. Judicia & voculæ sinistræ, quas eo nomine subii, nō per Poloniā tantū, sed extra eam quoq; jam percrebuêre. Perluctatus tamen*

Kiselus Chmelnicium acri epistolâ admonet officii.

men omnia fide constantiâq́ʒ, quicquid tū & exercitus Cosacorum à Republ. petere magis, quàm sperare ausi estis, impetratum ferebam, felix orator & jam meriti apud Deum fiduciâ, ob inhibitum sanguinis Christiani diluvium, propè superbiens, certè exultans. Properabam ad vos, diffidentiam omnium, atqʒ etiam vestram reipsâ confutaturus; nihil ipse quoqʒ dubitans, omnia me eo loco, quo reliqueram abiens, reperturum. Sed ô quàm contra accidit! quot oppida, quot arces, quot ditiones Reipubl. devastatas & ignem ferrumq́ʒ expertas; quàm miserè indigneq́ʒ habitam etiam Huisciam meam, & quicquid in eâ pretiosissimarum rerum habebam, ablatum reperi! Hæc scilicet gratia fidei, labori & optimæ voluntati meæ relata erat. Neqʒ sanè mirum cuiquam videri potuisset, si tum missis adversum homines, datæ mihi fidei oblitos, suspiriis, negotium hoc omne excussissem cervicibus meis. Ego tamen injuriis alienis à proposito meo non absterritus, à te usqʒ persuaderi mihi passus sum, omnia illa infanda, te invito & inscio, perpetrata esse, & literis tuis extremis Constantinoviam invitatus, eò cum collegis meis magnâ fiduciâ pergebam. Ac vix diei unius atque alterius iter jam supererat, cum Barum à Vestris invaditur; & paulò post, Huiscia expilatur.

me propè

Barum invaditur. *me propè adſpectante, Oſtrogia: mox & alibi ſacra profana proculcantur; plebejiq; pariter ac nobiles bonis vitaq; ipsâ exuuntur: viæ deniq;, quibus eundum erat, copiis obviam miſſis, mihi intercluduntur. Vici & tunc animum, pacis ſequeſtrum me cogitans, & injuriâ iſtâ, planè equidem hoſtili, ad colloquium tuum reſervatâ, Tribunos miſſis nunciis monui, darent viam non arma ſed pacem ferenti, & euntem comitarentur præirentve. Conſensêre illi hâc conditione, ut* *Obſides violantur.* *denos mutuò obſides daremus; ego nobiles, illi ſuccenturiones. Fidem habui amicitiam præferentibus, decemq; nobiles viros ex pacto miſi, nihil ſiniſtri ſcilicet metuentes. At ô quàm iterum ſpes me fefellit! quàm inaudito, quàm inexpectato facinore conatus noſtri interverſi ſunt! ſeptem ex obſidibus illis trucidârunt, tres triſti terrore detinent, ſimili fortè crudelitate mactandos, niſi jam mactati ſunt. Si milites Viſnioveciani excurſione factâ Oſtrogiam tentârunt, id non luere iſti, non ego debui, expers, Deum teſtor, atq; inſcius planè ejus conſilii. Cujus ſi fuiſſem particeps, an quæſo tot nobiles viros, cives & fratres meos, ultionis veſtræ libidini, præſentiſſimoq; adeò periculo objeciſſem! Quid ſupereſt jam, quod diffidentiam & reſumptæ inter nos hoſtilitatis curſum refræ-*

nare possit? Ipse rem considera; etiam atq; etiam cogitans, esse in cœlis Deum, qui & possit facilè vel validissimos exercitus obtere-re, & vindictam fidei ac sangvinis, præter fas effusi, non soleat tramittere. Altaria tam Græcis quàm Latinis ceremoniis conse-crata, sexus imbellis, & ætas innocens crude-liter habita, omnesq; illæ injuriæ, quas Chri-stiani Christianis, civibus hujus Reipubl. He-ris suis subditi, gravissimas, & à Turcis Tartarisq; vix expectandas intulêre, divi-nam Nemesin invocant. Ego igitur, acerbis lacrymis inanes labores meos prosecutus, ex viâ ad vos susceptâ, sed nunciorum meorum cadaveribus jam obseptâ, revertor ad exerci-tum Reipubl., cui propior factus, cum Collegis copiisq; meis extra castra subsistam, ultimos à vobis nuncios præstolaturus. Tu fac, cœlo atq; orbi innotescat, sine scitu tuo factum, quicquid à perfidis istis perpetratum est. Pi-ent illi noxio cruore tot hominum innoxio-rum sanguinem, & tot domuum, pagorum, oppidorum, templorum deniq; immani sacri-legio expilatorum ruinas. Ipse autem in fa-ciem tuam coram Majestate, omnia nostra, etiam cogitata, pervidente, supplex procum-be, & veniam commissorum roga. Quid pa-tria in te commisit, mater, nutricia & alu-mna tua? quid Dei, cui vitam & omnia

Belli mala.

debes, fana & altaria commeruêre? quid nos, tibi & exercitui Zaporobiano, nullis injuriis, aliqui verò multis benevolentiæ pignoribus cogniti? Nemo usquam vivit mortalium, qui non conscientiæ tangatur sensu, qui ad Deum creatorem suum non suspiret. Te Christianis sacris imbutum quî non moveant vulnerentq; intimè ea, quæ facta sunt, quæq; fiunt: quî futura etiam non habeant sollicitum? reputantem scilicet, quò iste tantæ multitudinis, & nil nisi sanguinem spirans concursus, quò tanti tumultus evasuri sint? Deus Opt. Max. & sanctissima Virgo, cui hunc diem Ecclesia esse sacrum voluit, meliorem tibi mentem dent; adeoq; te emolliant, ut emendandis, atq; in melius flectendis rebus animum intendas. Sex en dies præfinio tibi: quibus sententiam tuam ultimamq; destinationem, non procul ab exercitu nostro, cum Collegis meis opperiar. Tu ne amplius expectationem nostram morare, sed effice, ut propensa in melius voluntas tua, stricto in perfidos istos ultore gladio, nobis & Reipubl. clarè pateat. Sin obduruit mens, sciat age saltem hæc à subditis suis adeò præter meritum afflicta Mater, num merè fatorum arbitrio rem committere, vindicemq; Dei manum expectare debeat. Quod abominatus ego semper, & usq; abominans,

Deum

Deum oro, ut sacram hanc noxam, & quâ nullam deteriorem pestem scimus, bellum domesticum, à nobis averruncet. Penetravit Chmelnicii animum epistola, à viro magnæ autoritatis profecta, & ad eam, remisso, quem inter alios Palatinus allegaverat, Copistinio, sic satis reverenter respondit: *Illa quæ ad Ostrogiam contigissent, non sibi, sed Polonis* (Visniovecianos autem expertê nominabat) *potius imputanda. Quibus frænum injici optat, se vicissim quicquid suorum militum Ostrogiam insedisset, revocaturum ad castra, atq; in id Semenum Tribunum Caniovienſem jam misisse. Deniq; ut pateat inducias & pacis tractatus continuare se paratum, conciliatores Constantinovum denuò invitat, eò se quoq; voluntatis suæ & Cosacorum internuncios missurum.* Scriptæ hæ literæ erant 28. Augusti. Quibus acceptis sine morâ Palatinus, cum Collegis, versus locum destinatum tendunt, præmisso, qui indicium faceret propinquantium, Glembovio. At interim nescio quo infausto sidere invaditur denuò à Polonis excursoribus Ostrogia, nullo bono profectu (nec enim urbem obtinuêre,) potius verò immenso Reipubl. malo. Nam ad hunc sanè scopulum illisum pacis tractandæ universum negotium in nihilum cecidit. Chmelnicius

Chmelnicius respondet Kisielo.

Ostrogia invaditur à Polonis.

enim his irritatus, Glembovium, & quos deinceps nuncios misit Palatinus, machinis castrensibus alligatos retinuit, sacerdotem etiam Ruthenum ultimò missum non remisit, ad bellum nempe se jam parans, cui instaurando prægrandem habebat exercitum, & Tartaros ad omnia paratos advocare constituerat. Polonicæ copiæ, quæ hactenus ad Lachovecias, Camienum, Jampolum, Zalościas, se utcunq, continuerant, belli quidem ab inani compositionis conatu suspensi moras, nec non habenas Ducum, inconsultos exercitûs impetus cohibentium, parum æquis animis tolerare visæ, expectabant tamen reliquum ex Poloniâ militem. Qui ex singulis Palatinatibus collectus magnâ splendoris ostentatione, sed sparsim & lento admodum gradu, insuper verò itinera sua ubiq; rapinis signans, coibat. Neq; ad eadem castra, cum omnibus imperatum esset, Glinianos uti tenderent, confluebant omnes, conjunctionem morante æmulatione, & discordiâ Ducum; dubitantibusq; adeò multis, cui illorum sese adjungerent. Quidam etiam sine dubitatione, posthabitis, qui Varsaviæ constituti erant, militiæ Rectoribus, rectà ad Visniovecium ibant. In quem inde tantò major cæterorum invidia & indignatio concitata

Exercitus Polonicus tractatuum moras ægrè fert.

Æmultatio inter Duces.

concitata est. Ut Commissariis seu mavis Consiliariis belli, quorum plures in Convocationis Comitiis, Ducibus adjunctos diximus, primo omnium laborandum fuerit in sopiendis inimicitiis, quæ inter Dominicum & Visniovecium Duces; illum tum summum belli moderatorem creatum, hunc multis militiæ decoribus, etiam recentibus, insignem Reipubl. propugnatorem, dudum gliscebant. Etenim rem fortunamq; Polonorum omnem turbaturæ illæ videbanrur. Et primus quidem conciliationis conatus à nonnullis magnæ etiam autoritatis viris susceptus, prorsus fuit inanis. Alter demum labor Stanislai Witovvscii Castellani Sendomiriensis, rem confecit; cui Sigismundus Dönhofius Præfectus Sokalensis gnavus hîc adjutor exstitit. Ubi autem effectum tandem erat, ut hæc primaria Reipublicæ capita privatas simultates publicis utilitatibus remitterent: primus Visniovecius vicit animum, ut castra altera ingrederetur; cui ad æquum viæ spacium Dominicus cum Nicolao Ostrorogio, Regni Pocillatore, altero belli hujus moderatore, processit. Ita post mutuos amplexus, ad consultandum primum de re communi, deinde ad epulas, raptim, & velut stringendo tantùm arctius amicitiæ nodo, versi sunt. Fa-

Discordia componitur.

Duces amicè tandem conveniunt.

ctâ sic animorum armorumq; conjunctione, speculatores emisit, qui quid hostis agitaret, explorarent. Is verò interim, cum exercitum Polonorũ à Glinanensibus campis in Podoliam progressum; magis magisq; grandescere intelligeret, satagebat rerum suarum, nec contentus multitudinem illam ingentem ad bellum componere, Chanum quoq; Tartaricum, nunciato periculo, quod sibi & Tartaris à Poloniâ, in bellum jam totâ effusâ, instaret, denuò ad se invitat. Qui fœderis conscientiâ, sed multo magis amore prædæ, tum verò insuper literis à PortâOttomannicâ allatis, quibus ad continuationem belli Polonici excitabatur, stimulatus, indictâ in singula capita expeditione, omnibus potentiæ suæ viribus premere Poloniam minabatur. Sed antequam ille adveniret, aut suppetias etiam mitteret Chmielnicio, Poloni Tartarorum adventum animo præcipientes, propius accesêre ad Kisieli Palatini copias, quæ duûm millium circiter, in viciniâ hostis, pacifica ab hoc responsa exspectantes stabant. Factâq; conjunctione, quantumvis inter languida aut minus audita diversorum imperia, discordia & confusio glisceret, res tamen identidem non infeliciter adhuc gerebatur. Ac ad primam venientium

Chmelnicius Chanum evocat.

Poloni propiùs admovent copias ad Chmelnicium.

tium famam Constantinovũ 19. Septembr. receptum est, Ostaphone tribuno rebellium, istic vim venientium expectare non auso. Inde ad ipsas Pilavecias (arx est nobilis viri Czermienscii, ab amne præterfluente ita dicta*) ubi Chmelnicius cum centum circiter millibus armatorum stabulabatur, processit exercitus: non æquo sanè omnium consensu, & ut res posteà docuit, magno cunctorum malo. Multis, atq; inter eos Visniovecio utilius visum erat, ad Constantinovum morari, dum novus iste exercitus rectius componeretur, militiæq; meliùs adsuesceret. Sed Ducibus plerisq; adventum Tartarorum, qui in procinctu esse dicebantur, prævertere svadentibus, properatum deventumq; est in loca confragosa, multisq; collibus & stagnis intersecta; adeò ut castra istic solito aggerum circumductu ritè muniri non possent. Interim verò hostem, etsi numero validiorem, & utriusq;, ad illas paludes, ripæ potentem, audax hæc Polonici exercitus acceleratio non parum consternavit. Eumq; suo, pariter tum malè adhuc coalito robori fidere non ausum, de retrocessu jam cogitâsse ferunt, quò posteà integras suas vires auxiliis Tartaricis adjungere posset. Etiam hoc accepi, plurimos è gregariâ agrestium multitudine dedition-

Constantinovum deditur Polonis.

Pilaucos progreditur malo consilio.

Hostis trepidat.

 ditio-

ditionem sui agitare cæpisse; metu scilicet Dominorū appropinquantium percellente animos serviles. Nutantes ita, magis mox etiam belli præludia, Polonis quàm Cosacis feliciora turbaverè. Agger, sed angustus, & solo humili atq; uliginoso ad gradum pene instabilis, interjectu suo prohibebat, ne rectà iri posset inChmelnicium. Et hic suâ ex parte aggeris aditum binis propugnaculis infestum Polonis reddiderat. Illinc proturbare hostem, ardui operis, sed egregium ad famam & ominosum ad cætera fore videbatur. Itaq; alæ aliquot, Carolo Corecio Duce & Samuele Lasczio præeuntibus, stagni caput circumgressæ, aliæ, quàcunq; capax vestigii vadum erat, properato transitu, in exercitum hostilem irrupêre. Cumq; non cogitantibus supervenissent, antequam arma consternati hostes arripere possent, orta ibi confusio est. Et mox ubi plures nostrorum, quà data via, accurrissent, munitiones hosti ademptæ, custodiaq; earum dein Prætorianæ cohorti, quæ strenuam hîc operam navaverat, commissa fuit. Sed non diu ea nostris seu fortuna seu alacritas mansit. Postero enim die nullâ certâ ex causâ, alia longè facies, alius animorum habitus, quâm qui hesternam victoriam deceret, in castris fuit. Sparsus ne-

Munitiones duæ occupantur à Polonis.

us nescio quo autore rumor erat, Chmelnicium, hesternis belli præludiis irritatum, cunctis viribus in Polonos ire velle. Inde toto die in armis stetit miles, Cosacos, & cum iis prælium assiduè prospectans. Datum tum documentum est, *majoribus solere animis invadi, quàm expectari hostem: & milites, qui impetu valuissent, morâ interdum flaccescere.* Hîc interea etiam voces, debile aut dissonum exercitûs regimen incusantium, crebescebant. Et quidam omnia pessima sibi & universis augurabantur. Neq; deerant, qui malè rem cedere optarent, ut major inde Ducibus, in quos obliqui erant, infamia nasceretur. Adeò non *veretur invidia publico etiam damno iras privatas satiare.* Sed hîc jam insuper nebula accesserat, quæ ut diem, ita pectora quodammodò fuscabat. Alter alterum, vix nisi de proximo cernere & agnoscere poterat. Noctem esse crederes, immissam, ut pavorem, tenebras comitari solitum, vel afferret vel portenderet. Atq; uti fieri solet, cum oculorum usus eripitur, ad quemlibet motum vel sonum arrigebantur corda, & ne quà à latere, beneficio tenebrarum, sibi hostis, talibus furtis assuetus arreperet, metus erat. Sed ille eo die pariter suos in castris continuit, impetum exspectans potiùs,

In exercitu Polono mutatio animorũ.

quam inferre cogitans. Pauci aliqui excursores utrinq; commeabant, speculaturi, num quæ pugnæ prætentamenta apparerent. Sub vesperam repentinus, in castris hostilibus, tubarum tympanorumq; clangor, mox & tormentorum fragor exsonuit. Qui auditus incertiores animi Polonos faciebat, quia, quid is sibi vellet, ignorabatur. Plerisq; tamen creditum, advenisse Tartaros, illosq; his lætitiæ signis à Chmelnicio excipi. Exploratores, seu segnitie sua, seu vitio agrestium, hosti quàm Polonis amiciorũ, nihil quod dubitationes solveret, afferebant. Eò magis jam nonnulli numerum pugnacitatemq;, Scytharum in majus secum augere: & quâdam specie prudentiæ in sequiora omnia labi animo & sermone. Dubitare inprimis, an tàm ingenti hostium multitudini par esse possit exercitus. Sed ii tamen aliorum adhuc præsentiore animo, fiduciâq; meliore coerciti, non audebant nimis apertè, vel pertinaciter tueri metus suos. Duces interim edici jubent militi, ne abeat stationibus, majorq; adeò pars exercitûs in excubiis tum mansit. At hostem, quid in castris Polonicis ageretur, non latebat. Et quia Tartarorum inani umbrâ consilia animiq; multorum adeò turbati erant, augendam fraude

fraude formidinem ratus, die postero, qui erat 28. Septembr. suos educit, præmissis quatuor millibus Tartarorum, quos dudum jam secum habuerat. Adjuncti eis non pauci agrestium, ita vestiti armatiq;, ut Tartari esse crederentur. Hi confertis agminibus & solitâ Tartaris vociferatione (Alla alla) ingeminantes, in ereptas hesterno die munitiones impetum faciunt. Quas Palatini Sendomiriensis, summi tum militiæ Ducis, prætoriani pedites, ductore Suchodolscio, insederant: Excubantibus simul circa aggeris exitum turmis equestritus, Sendomiriensis præcipuè Palatinatûs, Volinensis præterea, & Brestensis. In omnes istos, quia proximi erant, vehementissimo impetu vis hostilis primò incubuit. Neq; suppetiæ iis maturè mitti poterant, ob viæ, quâ eundum illuc erat, uliginosam angustiam. Sed nec, cum poterant, culpâ mali regiminis, missæ sunt. Interim pedites illi multitudine oppressi pereunt, & eques numero impar, tum in loco tàm iniquo, armis suis, hastis præcipuè, uti impotens, multùm similiter laborabat. Multi ante aggerem cadebant, non pauci & in ipso aggere, partim ab hoste urgente, partim mutuâ, atq; horum quoq;, qui in auxilium veniebant, trusione obterebantur; aliqui

Terrorem dolo auget hostis.

Laborat exercitus.

aliqui in ipso amne Pilavvkâ, vicinâq; ei ulvâ peribant. Ipse Sendomiriensium Castellanus & tum ductor Stanislaus Witovvski, cum equus, cui insidebat, ex vulnere procumberet, vix demum alio à famulis suppeditato, summo discrimini ereptus est. Etiam Christophorum Balduinum Ossolinscium Præfectum Stobnicensem in uliginosâ ripâ hærentem, ægrè servavit gregarius miles, nihil moratus periculum, dum Herum in cœno illo sidentem, & jam proterentium calces experientem sublevat, atq; à loricâ, salutis ante tegumento, nunc remorâ, discissis cultro vinculis, expedit. Labente in vesperam die, Proceres raptim sub dio, & quidam, ut ex pugnâ adhuc calebant, de summâ rerum consultabant, ac aliis alia afferentibus, potioribus tamen placuit, quia jam meliore ex loco & viribus longè majoribus hostis pugnaret, adversum dissonos & suâ quasi mole ruituros, ut sub structæ carraginis tegumento Constantinovum rediret exercitus. Atq; eâ mente singuli ad suum militem redibant, cæperantq; jam currus in carraginem connecti. Sed paulò post nonnullis, nescio quâ fatali cæcitate aut desperatione correptis, nimis lentus esse ille protegendæ privatæ & publicæ incolumitatis visus est modus. Quare seorsim denuò

Castellanus Sendomiriensis periclitatur & B. Ossolinscius.

De retro-cessu consultatio.

denuò capita conferentes, & quò etiam suos fallerent, murmure secreto suum & simul Reipubl. quæ in isto civium flore periclitaretur, discrimen sibi mutuò ostentant. Mox & licentiam invicem dant sumuntq;, quà quisq; posset, sibi consulendi. Vellem hæc quæ memoro, & continuò hinc memoranda habeo, potiùs silentio transire posse, quàm in lucem protrahendo mihi & Operi huic invidiam consciscere. Sed agendum est liberè, fidem veritatis professo, & frustra siluero, quæ in ore famæ posita sunt, ac forsan alicubi in majus corrumpuntur. Cur verò etiam dissimulemus dedecora, quorum nulla expers natio fuit, quando justum Caput non habuit. *Ut corpora vel maxima labascere ac dissilire necesse est, quæ vel nulla vel discors anima gubernat, ita exercitus, cui aut Rector, aut ex ipsâ multitudine regentium, regimen deest.* Hîc utiq; novus paucissimisq; veteranorum fultus exercitus & auspiciis & ductu caruit, cum nec Regem haberet Regnum, & legitimi Duces Scythicis Tauricæ vinculis attinerētur. Qui substituti interim erant, non audiebantur. Carrago itaq;, ut rem dolendam, postquam cæpta est, pertexam, omitti illico, & quà connexa jam erat, dissolvi cæpit. Primi omnium, qui nescio an subito,

Consiliū subitum de fugâ.

Subito tumultu exercitus dilabitur.

bito, & in hâc arenâ nato, occulto certè consilio in fugam inter se consenserant, sese proripiunt. Inde mox terror in proximos quosq;, hinc in reliquos, porroq; ita in totum diffunditur exercitum. Alii, quæ ista consternatio sit, inquirere, alii nihil quærentes, sequi tantum cæteros: omnes fere, & in iis strenuissimi quiq;, veræ rei ignorantiâ, falsa omnia fingere sibi, ipsâ etiam inprimis nocte omnia incertiora reddente. Ita ruitur undiquaq; è castris, & non secus atq; victor hostis tergo instaret, properatur, non curribus tantum omnibus, quorum ingens numerus, sed & pretiosissimis quibusq; rebus derelictui habitis. Fuêre quidam ex veteribus militiæ, qui voce manuq; obsisterent, gloriam majorum, fugæ dedecus, sed inprimis etiam, placitum carraginis consiliũ objicientes. Sed nemo rectè monentiũ audiebatur. Dilapsis ita partim suâ, partim alienâ trepidatione omnibus, soli supererant, qui aut longius à castris per excubias dispositi steterant, aut è statione pugnâve eo die reversi, quieti se dederant, inscii omnium, quæ cæteri agerent, sed tandem strepitu ipso admoniti, cum discessu reliquorum desolatos se intellexissent, triste exemplum, abominantes, & necessitate coacti excusatiq;, sequebantur.

tur. Visniovecio Duci jam à paucis aliquot deferebatur belli regimen; sed is, quod re integrâ sibi negatum esset, conclamatâ, recipere abnuebat. Alicubi tamen restitans, inclamabat fugientes, ut sisterent gradum: jam deesse adhuc, qui manentibus præesse possit. Sed nemini vacabat jam auscultare aut sequi Ducem. Quidam peditum cum ex stationibus reduces, deserta castra, & relictam in curribus tantam rerum pretiosarum copiam deprehendissent, vestigiis cæterorum, quantum possent, sibi quoq; insistendum rati, manus tamen à prostante prædâ non abstinuêre. Rem optabilem fecissent, si igne tot illis curribus subjecto, hosti tantas opes præripuissent. Sed id vel insperatâ rerum facie atttonitis, non venit in mentem, vel festinantibus arduum factu visum est. Atq; ita non tantum ille adeò splendidus & tot millium exercitus, novâ insolitâq;, sed haud dubiè, ad excutiendum veternum, cœlitùs permissâ formidine paucas intra horas, dilapsus est: sed & simul tormenta, suppellectilis aureæ, argenteæ, sericeæ curruum, equorum, omnis deniq; generis impedimentorum incredibilis vis, hominum etiam, qui seu equis destituti, seu morbis vulneribusq; invalidi sequi alios non potuerant, haud exilis turba in manus hostis de-

Visniovecio frustra regimen jam defertur.

Castra expilantur.

Multæ opes hosti relinquuntur.

ſtis devenit. Qui fortunam ipſe ſuam diu neſciens, aut cum de vacuis Polonorum caſtris nuncii afferrentur, dolū ſuſpectans, diu ſuos ab invaſione caſtrorum, & à divite illâ prædâ continuit. Hâc dein potitus, quàntùm animos ac criſtas erexerit, facilè cuivis eſt conjicere. Quippe vehementer ſe formidatum videbat exercitui, qui tantas opes hoſti relinquere non dubitasſet. Sed & ſe ſuosq; milites, adeò præter opinionem & laborem, velut fato ipſo ducente, ditatos, haud dubiè, ad majora vocari credebat. Nihil certe tam improbum fingi queat, quod ſperare ille non auſus ſit, tam inexſpectata asſecutus. Et patebat equidem ejus libidini omnis propè Polonia, protectore exercitu in diverſa prolapſo, & terrorem inſuper undiquaq; per provincias circumgeſtante. Multi Procerum Leopolin tacito pudore prætervecti, alii urbem ingresſi, de retrahendo exercitu, eluendâq; maculâ, conſilium inire cæpêre. Viſniovecius, quicquid illàc militum iret, hortatu, prenſatione, precibus, nummis deniq; ab oppidanis in fidem Reipubl. & ſuam acceptis, retinet. Pocillator etiam Regni Oſtrorogius, misſis raptim Varſaviam ad Archiepiſcopum literis, rem omnem exponit, conſilia ſua, inprimis de carragine, non audita memo-

Hoſtis inde erigit animum.

Leopoli proceres quidam deliberant.

memorans: simul tamen in rem præsentem suadens, *ut edictis publicis miles, tam qui dispersus jam vagaretur, quàm qui lentius progressus, ad Pilavecias nondum accessisset, ad ipsum apud Leopolin properè coire juberetur: peregrinus præterea miles, inprimis pedester & exercitatus, undiq; legeretur: deniq; ut publica ediceretur expeditio; addito postremùm, videri sibi melius mori, quàm Patriam ita pereuntem spectare.* Bonum sine dubio consilium erat, sed eâ celeritate, quâ opus erat, in tàm præcipiti Reipubl. discrimine, ad effectum deduci non potuit. Hostis præmissis Tartarorum aliorumq; velitum alis, & qui quovis Tartaro velocior est, terrore omnia optimè cogitata disjecit. Vix usquàm justa aliqua manus militum restitabat, nisi postquam eò pervenerat, quò hostem tam citò sequi non posse putaret. Oppida etiam pleraq;, arces deniq;, quæ in Russiâ sat frequentes, certatim deserebantur. Ipsum Zbarasium, vetus & sat benè munitum illiùs tractûs propugnaculum, tum quidem quinquaginta machinis bellicis aliisq; apparatibus instructum, sed præsidiario milite vacuum reperit Chmelnicius, cum dimissis per diversa Nieczajo, Niebaba, Tyssâ, Glovacio aliisq; ductoribus, huc primnm cum grandiore

Pocillator Archiepiscopo dilapsum exercitũ nunciat.

Oppida patent hosti.

Dubna Domino item. exercitu se convertit. Alibi Dubna, Domini Ostrogiæ & Zaslaviæ Ducis arx, à præsidio suo, ductu imprimis Radlovii, qui ex dispersione illâ publicâ huc se receperat, protecta, impetum hostilem exclusit. Sed majore vi Brodana arx oppugnata est. *Nec Arx Brodana.* Condita illa annis superioribus à Stanislao Coniecpolscio, Castellano Cracoviensi, eodemq; exercituum Duce, & egregiis posteà operibus munita; Cosacis verò nunc præ aliis locis invisa erat, ob possessorem ejus Alexandrum, magni illius Ducis filium, Regni vexilliferum, quem Chmelnicius inter præcipuos persequebatur. Adsitum arci oppidum non exiguæ molis. *Oppidũ Brodi, desertũ occupavit hostis.* Quippe cui exornando ditandoq; multam curam defunctus exercituum Dux adhibuerat, vocatis illuc Gedano & ex ipsâ Bataviâ opificibus variis, præsertim talibus, qui conficiendis rarioris artificii texturis sericeis oppidi famam augere idonei essent. Ac cæperat idem Dux cum Batavis quibusdam modum *Opifices oppidi Brodani & commercia.* agitare, quo sericum aliæq; Persicæ merces ex Oriente in Poloniam terrâ portarentur: ut ita, non sine Ducis, Regniq; totius commodo, compendium fieret itineris, quod hactenus per tot marium discrimina, magnis sumptuum mensiumq; multorum impendiis, faciendum esset. Sed oppidum hoc quia

quia latiùs diffuſum, minusq; adhuc munitum erat, quàm ut contra vim magnam defendi poſſet, deſertum nunc fuit ab incolis. Horum quippe major pars cum uxoribus liberisq; in Arcem ſe receperat: alii aliò erant dilapſi. In Arce centum pedites à loci hærede fuerant relicti. Quibus totidem ferè de legione Olſinſcianâ, poſt triſte illud Pilauciarum Poloniæ vulnus acceſſerant. Ex viciniâ triginta circiter nobiles, ex oppidi civibus ducenti plus minus aderant, qui arma tractare poſſent. Nec tormenta varii generis, aliiq; apparatûs bellici deerant. Cura Arcis tutandæ Paulo Gavlovio & Alexandro Caſperſcio demandata erat. Hoſtis paulò poſt Calendas Octobris ad oppidum acceſſit: quod cum vacuum reperiſſet, domos & templa prædator aliquandiu miles percurſavit, ſed idem non multò poſt ad Arcē ſe admoverſe cæpit. Cū propugnatores ſtrenuè inde jacularentur, Chmelnicius animos obſeſſorum tentaturus, fortè etiam, ut Auxiliatori ſuo Scythæ gratificaretur, literis ad Præfectos miſſis, Tartaros, qui iſtîc in vinculis, multis adhinc annis, detinerentur, liberos dimitti petiit. Eâ re impetratâ, oppido Arciq; vim ſe nullam ſpondebat illaturum. Erant octoginta numero Tartari, quos belli Dux Co-

Præſidiarii Arcis Brodanæ.

Tartari dimittuntur ex Arce Brodanâ.

niecpolſcius, diverſis temporibus captos compedibusq; oneratos ad opus, in Arce novâ & multas manûs adhuc requirente, faciundum damnaverat. Sed eos, tanquam feſſos & emeritos dudum dimittere ſtatuerat Regni Vexillifer filius. Tanto itaq; pronius Chmelnicii precibus eosdem dare jam placuit, cum præſertim ita oppidum redimi poſſe ſperaretur. Igitur per murum dimiſſi ſunt illi Tartari. Poſthæc movit caſtra Chmelnicius Leopolin, ulteriùs dein in Poloniæ viſcera progreſſurus. Pars tamen exercitûs (viginti ampliùs millia hominum) contra fidem datam, obſidionis operi continuando, ſub Danielis Nieczaji & Stempi, Tribunorum Coſacicorum, regimine relicta. Qui ut Arce potirentur, nihil reliquêre intentatum. Ac primùm quia viginti tormenta habebant, ea ædibus oppidi lapideis impoſita ſunt, quo certior tanquam de ſuggeſtu in Arcem jactus eſſet. Uti ſanè non parum inde noxæ datum eſt obſeſſis. Domos præterea ligneas demoliti, binas inde velut turres fabricabant, quæ magno longoq; labore in eam deniq; altitudinem ſurrexêre, ut Arcis mœnia æquarent. Sed & foſſas iisdem domuum fragminibus implere cæperant, atq; ſic ad ipſos Arcis muros munire ſibi viam. Videntes periculum

Brodana arx oppugnatur variè.

periculum Præfecti, captato tempore, quo decidens pluvia, etsi levior, Cosacos securiores reddiderat, peditem ex Arce demittunt, qui pilam pyrio pulvere artificiosè effertam, strui ligneæ injecit. Quæ paulò post accensa ignem latè sparsit, & hostile illud duarum hebdomadum opus eo die in cineres deposuit. Nam etsi Cosaci flammam magno concursu niterentur extinguere, frustra tamen erant, & eorum non pauci ex arce figebantur globis. Eodem igne correptum est stabulum, quod præmagnificum defunctus Coniecpolscius Arci olim subjecerat. Nunc verò id obsessoribus tegumentum dabat adversus obsessos. Octo post diebus altera quoq; strues, eaq; penè major, incensa est, submissis in eam rem ex Arce triginta peditibus, quorum etiam tres in ipso hoc conatu periêre. Irritati inde Cosaci vindictam explere statuerunt ignibus oppido injectis, cui hucusq; pepercerant. Atq; ut tanto plus damni inferrent obsessis, placuit ventum expectare, qui ex oppido in Arcem non fumum modò, sed & flammam sparsurus videretur: quia in Arce quoq; ædes aliquas ligneas, igniq; adeò concipiendo aptas esse noverant. Ubi commodus ipsis ventus adspirare visus est, missi agminatim Cosaci diversis

Opera obsidentium exuruntur.

Oppidũ Brodi incenditur.

partibus ſuccendere oppidum cæpêrunt. Sed cum extrema ejus citiùs corriperentur, alii qui in foro rem eandem tardius aggresſi erant, ignibus ſubitò circumdati ægrè effugêre exitium. Alibi etiam combuſti ſunt. Cùm univerſum jam oppidum flagraret, pro Aquilone Auſter flare cæpit, qui incendii vaporem & periculum ab Arce avertit. Fruſtrati ita toties Coſaci, jamq; etiam oppidi latebris deſtituti, vi omninò Arcem adoriri ac tranſcendere decreverunt. Ac proinde continuis aliquot noctibus connisi ſunt muris ſcalas apponere; quas in id præaltas paraverant, ſylvis proximis ſat uberem ad talia materiem præbentibus. Verùm obſeſſi tum machinis ſuis omnibus, quas pleraſq; non globis majorib9, ſed granis plumbeis implebant, ut latius vulnera & mortem ſpargerent, tum ſaxis lateribuſq; undiquaq; viritim propulſabant ſubire auſos. Horumq; adeò magnus ſubinde numerus peribat. Tandem, ubi vim omnem eludi viderent, ad dolos converſi ſunt hoſtes. Collecto omni exercitu diſceſſum ſimulant, caſtriſq; motis verſus Bereſteciam tendere incipiunt. Sed iidem, ubi ad primum lapidem ventum erat, conſiſtunt, ac deinceps mediâ nocte redeunt tacitè, quinquaginta amplius ſcalas ſecum vehentes.

Coſaci in muros Brodanos nituntur.

Sed inani conatu.

Has

Has subitò suggressi, admovent muris, omni ope Arcem ingredi laborantes. Sed extremis quoq; viribus obnisi sunt præsidiarii, præter machinarum jacula, quicquid ad manum esset, quod nocere hosti posset, ingerentes. Cæterùm cum ad hunc modum per octo amplius hebdomadas cum hoste, non nunquam & cum suis quibusdam, ad hostem metu tandem inclinantibus, certâssent obsessi, mitigatus interim, ut in progressu historiæ dicimus, Chmelnicius & relicto Zamoscio in Ukrainam tendens, hunc Brodanæ quoq; Arcis obsessorem exercitum secum reduxit. Atq; ita Arx, quod paucissimis tum locis contigit, evasit, non sine magnâ constantiæ laude, periculum. Eademq; cum oppidum servare non posset, oppidi tamen cives plerosq;, & multos ex viciniâ servavit: quanquam etiam ex ætate & sexu imbelli ingens ibidem multitudo fame & morbis interiit. Verùm mihi ad Leopolim, principem Russiæ meridionalis Urbem, &, ut sequentium annorum historia docebit, immotâ inter tot obsidia, fidei constantiâ præclarè de rege & Regepubl. meritam, reflectendus jam stylus est. Hanc Proceres quidam post cladem Pilaucianam, ut dixi, huc digressi, omnibus modis tuendam statuerant. Sed ex dilapso per diversa exercitu nul-

Arx Brodana liberatur obsidione.

citu nul-

Leopolin defendere statuunt Proceres. citu nullos aut paucos huc milites tulerat impetus. Longè verò paucisſimis ſiſtere hîc impetum libuit. Inſtabat porrò novi Regis electioni deſtinatū tempus. Quem conventum ſine his, quæ Leopoli jam esſent, Regni Capitib9 haberi nefas, nec è Republ. videbatur. Itaq; conſilio raptim hîc inſtituto, ſummum quidem belli regimen Visnovecio Duci demandatur. Sed ſimul mox *Varſaviam iidem abeuntes deſerunt locum.* pleriq;, obſidii hîc diſcrimen opperiri nolentes, Zamoſcium primò, inde Varſaviam, locum ſcilicet Electioni dicatum, contendunt. Urbis cura in Chriſtophorum Arcisſevium, *Leopolis Arcisſevio committitur.* quem rei tormentariæ in patriâ præpoſitum ante diximus, rejecta eſt. Qui laboribus morbisq; fractus, munus iſtud, à multis alioquin expetitum, jamdudum invitus ſuſtinebat. Tum verò id adminiſtrare penitus detrectabat, niſi ſervato gentium, apud quas militiâ inclaruerat, more, legionem militum, ad cuſtodiam armamentorum, accurandumq; commeatum, haberet. Quam non adeptus, ſed ex venturis demum è Prusſiâ copiis ſperare, ac Leopoli interim ſubſiſtere jusſus, ei defendendæ magis adeſſe conſilio, quàm imperio *Sed is abnuit ibi regimen.* præeſſe recepit. Quippe ſuo milite, ad obſequia remq; bellicam exercitato deſtitutus, ſolis civium præſidiis, haud ſatis feliciter pro-

ter procesſuram civitatis defenſionem arbitrabatur: præſertim ubi plurimos eorum, metu inſtantis periculi, ab urbe ſe ſubduxisſe, intellexerat: adeò ut hominum ad arma induenda utcunq; habilium, vix quingenti ſupra mille ſuperesſent. Quibus ſerò demum una Draganorum cohors ſub Andreâ Cikovio, accesſit. Cæterùm ſimul ut urbem ingresſus erat Arcisſevius, multa equidem nobilitatis primoribus, qui iſtic judiciorum, ut vocant, Capturalium causâ coiverant, multa & civibus ſuaſit muniendæ propugnandæq; urbi necesſaria. Ac fidem quoq; Primorum Urbis, virorum ſanè inſignium, & magnam partem doctrinâ etiam excellentium, nec non civium plerorumq; (nam quosdam ex Rusſis in hoſtem propenſiores dies & calamitas poſteà aperuit) integram immotamq;, alacres etiam cunctorum ad conſilia operamq; aures, ſed lentiores judicum ante dictorum ad ſumptum faciendum manus, expertus eſt. Et hâc ex causâ, Arcis, quæ alioquin loco ad defenſionem ſui, & viciniæ, ſita opportuno, parvâ impensâ in magnam hoſtis remoram emuniri poterat, omisſa cura eſt. Sic cùm idem Arcisſevius certis vallorum ſpatiis, ſtationes, militi excubitori & inprimis civi, aëris injuriarum minus patienti, neces-

Defectus in Urbe & Arce Leopolitanâ.

ſaria ſuffugia ſtrui, ſepes item militares, quæ raræ & malè admodùm hærentes, faciliſmum cuivis tranſitum dabant, vibiis transverſis firmari, inter alia, poſtulâsſet, auditus quidem eſt, ſed auditus tantùm; effluente, inter obedientium cum cæteris certamina, agendi opportunitate. Interim magis magisq; propinquabat hoſtis, & adventum ejus ex collucentibus undiq; ignibus latè ardens cœlum, triſti præludio, denunciabat. Donec VII. Octobr. Tartaricæ primum turmæ conſpici cæpêre. A quarum ductore Tohaibejo præmisſi quidam, & præbitis amicitiæ ſignis, ad colloquium admisſi, à Sieniavio urbis hujus Præfecto, quem poſt Corſunenſem cladem à Tohaibejo, fidejubentibus pro lytro binis belli Ducibus captivis, è vinculis dimisſum ſupra narravimus, ſummam promisſam poſtulabant; ſubindicantes, eo impetrato, urbem tutam fore ab hoſtilitate. Sed, Sieniavio abſente, colloquium ſine effectu fuit. Interim IX. Octobr. Coſaci quoq; ſucceſsêre. Et hi oppresſis ſubito impetu civium iis, qui extrema ſuburbiorum ſepimenta tuebantur, primò Domos, foſſæ urbis imminentes, occupabant eoq; mox tegumento, ad infeſtandos cives, in vallis excubantes, utebantur. Unde quod nulla ante ratio potuerat,

Tartari appropinquant Urbi.

potuerat, necesſitas perſuaſit civibus, ut ſuburbia incendi paterentur. Is ignis biduo ferè arcuit hoſtem ab urbis acceſſu. Poſtea arx, trium dierum continuo conatu oppugnata eſt. Quam initio Bratkovius Burggrabius, poſteà, cum is in urbem unà cum majore militum manu noctu receſſiſſet, viginti aliquot pedites, abitûs cæterorum aliquandiu ignari, ſtrenuè eandem defendêre. Sed his ipſis tandem, deficiente omni commeatu, reliquos ſequi coactis, arx in poteſtatem hoſtis devenit. Qui eam XIV. Octobr. ingresſus, quicquid iſtic reperit, (nihil autem ferè hominum reperit, niſi ſi qui fugâ ſibi nequiverant conſulere) miſerrimè trucidavit. Infantum certè, quos barbarus perſecuerat gladius, reperta ſunt poſteà, plus minus ducenta cadavera. Juxta autem tum Chmelnicius non vi tantùm mœnia urbis, ſed dolo etiam, & blanditiis animos civium tentabat; ſcriptis literis obſeſſos, & præcipuè Ruſſos monens, ut à cæteris Lachis (ſic genuinos & inprimis Romanæ fidei Polonos Ruſſi vocant) ſeſe abjungant; univerſos porrò civitatis incolas, oſtenſâ armorum ſuorum, quæ neceſſitate ſubactus induisſet, æquitate, ſimul & inopiâ Pecuniæ, quâ ad ſatisfaciendum Tartaris, ſociis jam ſuis, indigeat, ad colloquium

Arx occupatur.

Urbs dolo tentatur.

quium & ad compoſitionis tentamenta invitans. Nulla ſpes erat ſuſtentandæ diu urbis, quam à milite & annonâ imparatam, exercitus trecentorum circiter millium circumſepſisſet. Adeoq; hoſtem inani obſtinatione, ad extrema lacesſere nemini etiã fortisſimorum, videbatur conſultum. Quòd tamen initio dolus adhuc metueretur, neq; ulla niſi cum ipſo Chmelnicio tuta ſvideretur compoſitio, quæſiti inter oppidanos, qui Chmelnicium nosſent. Et reperti duo ſunt Mokrſcius Sacerdos & Armenus quidam. Quorum ille olim in Patrum Jeſuitarum collegio bonas literas profesſus, inter auditores adoleſcentem Chmelnicium habuisſe ſe meminerat, nuncq; adeò tantò gratioſiorem ſe apud illum fore rebatur. Prodiit itaq; ille cum Armeno, noſcitatum, quis colloqui, & quo animo poſceret. Reverſi ipſisſimum adesſe Chmelnicium, & legatos ad ſe mitti velle, retulêre. Ita conſulum unus Vaklevicius, cum eodem Sacerdote & binis civibus, Armeno uno, altero Ruſſo, ad colloquium egresſus, redimi posſe urbem, ſed pretio non modico, intellexit. Quippe ducenta aureorum millia poſtulabat Chmelnicius. Illi regerere, *esſe iniquum poſtulatum, & excedere vires civitatis. Quam nunquam adeò nummis abundantẽ, nunc*

Urbs dedere ſe parat.

Urbs paciſcitur.

nunc insuper proceres Poloni, antequàm abirent, in delectuum novorum stipendium, plusquàm nonaginta millibus florenorum, hoc est omni præsente pecuniâ nudâssent. Si quid argenti non signati, aut mercium pretiosarum superesset, lubenter daturos obsessos mitteret hostis suos aliquos, rem omnem suismet oculis arbitraturos. Venit Glovacius, unus ex Chmelnicii Tribunis, homo Polonus, sed qui patriæ caritatem & sacra priora novis rebus posthabuerat. Eum comitabatur Scytha, castrorum apud Tartaros metator. His præsentibus ad Chmelnicium mille ducentæ selibræ, vulgò marcæ, argenti solidi, &, quod majus, sacris ferè usibus dicati, ad faciendam seriæ compositionis fidem, missæ sunt. Sequentibus diebus cum magis magisq; urgeret hostis, argenti signati ad sedecim millium florenorum non sine magno labore civitas confecit; ad quos viritim postulati Ecclesiastici sexcentos universim florenos contribuêrunt: privatim ferè cunctis inopiam excusantibus; at sacræ, si quid superesset supellectilis, communi necessitati omnes Religiosi ordines lubenter obtulêre. Ita hi sacras opes; cæteri cives, præter pecunias ante dictas, sericearum, lanearum, pellicearum mercium haud modicam vim mise-

Urbs se redimit.

runt.

runt. Nempe necesſitas, durum telum, nihil non extorquebat obſesſis, inprimis poſtquàm fames & ſimul morborum contagio ingrueret. Aquæ præterea, præciſis quorundam hoſti benè cupientium perfidiâ ductibus publicis, deficiebant: puteo, qui unus in cœnobio quodam ſupererat, non ſufficiente omnibus, & plebe pleráq; pasſim de lutoſis ſcrobibus pluviam hauriente. Panis caro veni bat, & ægerrimè jam haberi poterat. Quæ annonæ difficultas, etiam poſt compoſitionem aliquandiu manſit, relictis pasſim ab hoſte per oppida, vicos, & villas cuſtodibus Coſacis, qui exercitui ſuo annonam ſervantes, nullâ ope oppidanos juvari patiebantur, & egredientes ex urbe inclementer plerumq; excipiebant. Exercitus Chmelnicii 24. Octobr. moveri à Leopoli cæpit Ipſe gratiis civitati actis, cum lectioribus Coſacis poſtridiê ſecutus eſt: ulteriora jamdudum animo agitans, à quibus longâ ad unam urbem morâ abſtrahi, & ſeneſcere impetûs ſuos nolebat. Cæterum uti hactenus nihil propè non obvium apertumvé reperit: ita ab Urbe hac diſcedenti pasſim jam omnia magis patuêre, uno excepto monaſterio Sokalenſi, ad Bugum amnem ſito. Quod ſuperioribus annis Monachorum, & vicinæ nobilitatis ſolici-

Annonæ defectus & aquarum Leopoli.

Chmelnicius pergit Socalū.

ſolicitudo, circumducto ex arte muro & propugnaculis firmaverat, Oppidum ipſum Sokal à civibus Ruthenis facile deditū eſt. Quippe qui jam pridem Græcæ Eccleſiæ acciſam dignitatem indignè tulerant, eoq; nunc propenſiores in Coſacos erant. Cæteri, quos nulli ejusmodi affectûs Chmelnicio conciliâsſent, ſeveritatis nuper à Polonis in Ruthenos, ut proditionis ſuſpectos, exercitæ memores, adeoq; talionem metuentes, tempeſtivè ſe ſubduxerant. Et ſalutare hoc fugæ conſilium illis fuisſe eventus mox docuit. Etenim atrociter admodùm in omne id, quod ad profugos, diverſæ inprimis religionis, compertum eſt pertinere, ſævitum fuit. Non ſepulchrorum clauſtra, non templorum religio improbos retinuit, quò minùs in intimis adytis omnia, ac ſub humo cadavera ipſa excutientes, aurum argentumvè veſtigarent. Parem immanitatem Thomasſovia experta eſt: ne alia jam memorem obſcurioris famæ oppida, Magierowiam, Lipſciam, Florianoviam. Naroliam porrò vir nobilis Georgius Laſzczius, incertum, an ſubito incurſu deprehenſus, an ſuo in fundo occumbere quàm fugere malens, ſangvine ſuo conſperſit, commoriente illi loci ejusdem Presbytero. Tam immanib9 veſtigiis Zamoſcium tendens hoſtis

Socalenſes cives.

Coſaci Zamoſciū tendunt.

ſignabat

ſignabat iter ſuum. Hæc verò urbs â Johanne Zamoſcio, æterno illo Poloniæ ſuæ, cujus exercituum Dux & Cancellarius fuit, ornamento, parentum noſtrorum memoriâ, condita eſt. Et multiplici decore, inprimis verò Academiâ & munimentis, ſupra pleraſq; alias Poloniæ urbes, eminet. Illam ſi occupâsſet hoſtis, cor quodammodo Sarmatiæ in manu ſibi videbatur habiturus. Ingentes porrò theſauros iſtic reperturum ſeſe ſperabat: iis ſcilicet opibus inhians, quas partim domûs Zamoſcianæ, opulentisſimæ ſanè, curâ repoſitas, partim concurſu nobilium, qui magno numero illic ſua congesſisſent, accumulatas non ignorabat. Aberat tum urbis hæres, magni illius Joannis nepos, Avo cognominis; anno circiter ante, ingenii excolendi causâ, ad exteros profectus. Sed ejus in urbe defendendâ vices multi egregii viri tuendas nunc ſuſceperunt. Præ aliis ipſe Viſniovecius, Zamoſcii, ductâ ejus ſorore, affinis: qui poſt disſipationem Pilavicenſem, ſe & pretioſiora quæq; huc intulerat. Cui Aulæ Zamoſcianæ clientes, multi ſanè numero, tum cives urbis ex Polonis, Germanis, Scotis mixti, ſtrenuam operam animoſq; in omnia promptos, obtulêre. Acceſſit Belzenſis Palatinatûs nobilitas, quæ, ſumpto

Ad hanc Urbem multa hoſtem illiciunt.

Zamoſcianum præſidiũ.

ſumpto ſibi ductore Stanislao Sarbievio Præfecto Grabovienſi, viro ab ingenio uſuq; rerum multum illuſtri, in mutuam ſui & urbis defenſionem conjurârat. Ex quâ etiam paulò poſt modica Polonorum manus, Duce eodem Sarbievio, ſpeculatum ultra Sokaliam progreſſa, hoſtium turmam profligavit, cæſiſq; inde plurimis, undecim captivos, atq; inter eos Ruthenum Sacerdotem ſecum adduxit. Sed bona fortuna aliâ majore & inopinatâ ope Urbi huic ſuccurrit. Ludovicus Veiherus tum Caſtellanus Elbingenſis, poſteà Pomeraniæ Palatinus, junctâ cum fratre Jacobo, Palatino Mariæburgenſi operâ, mille quingentos quà pedites quà equites in Pruſſiâ conſcripſerat. Cum iis in Ruſſiam jam tendebat. Sed eundem tardiuſculè, quippe è longinquo, venientem, rei malè geſtæ fama offendit ſtititq; apud Zamoſcium. Ubi hærentem Visnovecium adventu ſuo mirificè recreavit. Qui illum mox non modò ad ſociandam ſecum fortunam invitat, ſed &, cum Electionis ergò, Varſaviam ipſe properaret, cuſtodiam urbis eidem tradit, adjuncto in partem curarum præſigni viro Vladislao Miſzkovio Marchione de Mirovv, poſteà Palatino Sendomirienſi. Aucta tam egregiâ bonorum & Ducum & militum acceſ-

Auxiliũ à Veiherorum copiis.

ſione urbs eò erectioribus jam animis expectabat hoſtem: cui ne ſuffugio aut munimento esſent ſuburbia, quantumvis pulchra & opulenta, igni ſine morâ à propugnatoribus data ſunt. Tanto denſior undiq; turba in urbem ſe trudebat, ſuburbanis ſcilicet receptibus ſuis ejecta. Plurimi quantùm poſſent, copiarum & ſuppellectilis inferre in urbem nitebantur, ſeu quod perdere nollent, ſeu penuriæ in futurum famiq, arcendæ. Magna inde ingredi certantium lucta circa oſtium urbis, quod unicum & ſubterraneum, magnâ nobilium aliquot & centum peditum curâ ſervabatur: ac miſerabilis omninò rerum iſtic facies erat: cum nec omnes, multò minùs cum impedimentis ſuis admitterentur, & multi quoq; exire juberentur: qui ſcilicet ad defenſionem inepti, fruges tantùm conſumpturi videbantur. Fuêre, qui funibus ſe trans mœnia cum alimentis ſuis trahi peterent, traherenturq;. Multi Urbe excluſi, ſub mœnibus fatum ſuum expectabant, curruum præſidio ſe tuentes adverſùm cœli injurias. Quæ tum ſolito graviores, iis etiam moleſta erant, qui intra urbem ægrè alicubi in angulis, intercolumniis, ædiumvè projecturis vitam tolerabant. Unde omnia puerorum planctibus, fæminarum lamentis, famelico-

Zamoſcium multi confugiunt.

rum algentiumq; gemitibus perstrepebant. Sub hoc tempus legionis Veiherianæ trecenti equites, Samuelis Regovii Subdapiferi Chelmensis ductum secuti, in legionem Niebabæ Tribuni Cosacici, quater mille minimum homines ad Chmelnicium ducentis, incidêre. Casu verò cum hoste tam numeroso, non procul Naroliâ commissi ita pugnârunt, ac si deliberatò in certamen, & pari numero descendissent. Et primum sat æquam experti fortunam, omnem hanc Cosacorum manũ formidine perfuderant. Calina quoq; excubiis apud Cosacos præfectus in manûs tum venit, & Zamoscium abductus est. Cumq; laborantibus hîc Cosacis Keldy Scytharum Ductor, Tohaibegi frater, opitulari vellet, Buimanni strenui Centurionis manu occubuit. Sed & ipse hic interfector à superveniente mox Scytharum agmine majore occisus est. Interim hostes auxilio isto, tum & rectius cognitâ paucitate nostrorum, animosiores, redintegrant conflictum: & quia cum lassis jam negotium erat, plerosq; Germanos cecidêre: pauci abducti sunt vivi. Regovius cum expeditiore equite elapsus est. Interim Tomassoviâ, quam V. Novembr. ingressus erat, Zamosciam versus movebatur Cosacorum Tartarorumq; exercitus; *Excursio.*

Duce Chmelnicio ſubinde auream urbem aggredi ſe ingeminante, quo animos in prædam inhiantes tantò magis incenderet. Viſum illi tamen eſt, primùm placidi ſibi animi circumdare ſpeciem famamq́;. Cum enim militem fortè ſpeculandi causâ cum aliis egresſum nactus esſet, per eum literis misſis monet oppidanos, ut amicum potius ſe, quàm hoſtem experiri malint; mitia omnia Pacem quærentibus promittens. Ad literas antequam reſponderent propugnatores, intra urbem omnia quàm ordinatisſimè componenda ſibi duxêre. Portis itaq; omnibus jamdudum ritè obfirmatis; ſtationes & excubiæ per ſingula murorum propugnacula diſpoſitæ ſunt. Primi propugnaculi cura inter centum viginti Visniovecii Ducis pedites Ungaros, & Aulæ Zamoſcianæ præſidiarios Germanos, quos Procopius Szornelus ducebat, diviſa eſt, quibus centum equites Jacobi Veiheri Mariæburgenſis Palatini, Ulrico Schafgotzio Comite Sileſio, cujus Sororem Palatinus thori ſociam tum habebat, adjuncti ſuêre. Alterum quod è regione palatii Zamoſciani eſt, ducenti quinquaginta pedites Veiheriani tuebantur. Tertium à totidem Veiherianis defendebatur. Quartum Davidi Tidemanno Gedanenſi hîc tum Vicetribuno,

Zamoſcianos blanditiis tentat Chmelnicius.

Diſpoſitio præſidiariorū Zamoſcianorum.

tribuno, manu ducentorum peditum, equitum quinquaginta contigerat tuendum. Quintum, cui pulcherrimo & omnium firmissimo, templum Armenorum imminet, nobilitas Belzensis, quater propè mille equites, propugnandum suscepêre: assumptis in partem laboris civibus quinquaginta, quos Jacobus Haz Tribunus regebat. Sexto, quod murus depressior, & stagni alveus aquis suis nudatus impressioni hostili maximè opportunum facere videbatur, cives variæ nationis, supra mille, ductoribus Jacobo Bernio & Nicolao Hadziejovicio, invigilabant. Spatium quod inter sextum & septimum propugnaculũ pari periculo objacet, septuaginta equites Germanos, quinquaginta pedites Polonos ex civibus defensores habuit. Septimum Academicorum pubisq; literariæ, cui Covalscius Rector datus, sed insuper centum peditum custodiæ commissum est. Ad subita porrò necessitatum, in areâ, quæ patentissimo intervallo arcem à civitate sejungit, centum pedites, sub imperio Martini Comorovii, sed simul nobilium advenarum ingens manus perpetuò excubabat. Cætera plebs ad majora inhabilis, falcibus suis aliove agresti armatu instructa, muros passim implebat, adscensus hostiles cominus impeditura.

 Interim

Interim hoſtis VI. Novembr. Sole ad occaſum vergente, propius ſuggresſus, poſitis ab orientali civitatis parte caſtris conſederat; cineribus ſuburbiorum deuſtorum ſpatium inter ipſum & urbem facientibus. Qui & oculis hoſtium, vento ferente, noſtrisq; ſubinde per tormenta ſtrenuè ſupplodentibus, unà cum fumo ingerebantur. Illi nihilominus, & fumi caligine & poſteà noctis obſcuro uſi, homines è flammis ſua audentius ſubducentes, aut ab urbe, ob anguſtiam loci, metumvé famis, excluſos, ſublegebant, quidam & ſtagnum natando trajicere laborabant, nihil grandine pilarum territi, quæ ex urbe volantes, multos ſubinde necabant. Eâdem illi audaciâ pecudum & generoſisſimæ notæ equorum equarumq; magnum numerum, ex horto Zamoſciano olim amœnisſimo, tum, ne hoſti ſuffugium daret, ſucciſo, abegêre. Mox & ſtagnum, quod magnam partem urbis alluens, hoſtem inde arcebat, perfosſis aggeribus, pervium facere ſibi conati ſunt. Et derivârunt equidem inde aquas, ſed earum tamen quantùm necesſarium esſet, oppidani foſsâ urbi proximâ exceperunt; factâ ad fosſæ ejus os aperiendum ſingulari excurſione. Tum etiam Chmelnicio reſponſum tandem datum eſt, misſis per tubicinem (nam miles, qui

Suburbia deuſta.

qui Chmelnicianas attulerat, nolebat redire in manûs, è quibus ſemel elapſum ſe gaudebat) literis, nullam obſeſſorum trepidationem, ſed præſentem potius &, ad omnia extrema paratum animum loquentibus. Simul è propugnaculis tormenta explodebantur, quibus quicquid operum acceſſuumvé ſtrueret hoſtis, diſturbabatur. Iterum iterumq; per eundem tibicinem obſeſſos ad pacta hortatur Chmelnicius; ſed conſtantes ſemper expertus eſt, & cum fortè in concione ſuper oppidanorum reſponſo & rebus præſentibus deliberaret, parùm abfuit, quin ei pila tormentaria exitium afferret. Unde capiti ſuo jam cautiùs proſpiciens, in pagum Labunie ſeceſſit: legionibus circa urbem ad exequenda juſſa ſua relictis, ad quas & ipſe identidem, ſed minus obſervabilis, ventitabat. Cæterùm nihil is hactenus proficiebat, quippe tormentis ſuis adhuc deſtitutus. Unde erectioribus animis noſtri crebrioribusq; excurſib9 infeſtabant obſeſſores. Ac quia templum, non adeò dudum S. Catharinæ dedicatum, publicam nuper ſuburbiorum conflagrationem evaſerat, & jam non niſi barbaricæ licentiæ ſtabulum, mox & latibulum machinationum, atq; etiam fortè pro ſuggeſtu tormentario fore videbatur, factâ eruptione illud,

Chmelnicii blandimenta rejiciuntur.

Templū S. Catharinæ comburitur.

& juxta, quicquid circa id supererat ædium, succendere placuit. Quod ita dextrè administratum est, ut eodem procursu multi simul Cosacorum interficerentur: unus præterea ex iis vivus, inter spolia, in urbem, indicii causâ, adduceretur. Aliâ urbis parte peditum Visniovecianorum præfectus, fidei maritalis & animi imperterriti specimen edidit. Conjux ejus in suburbio diutius fortè morata, in manûs hostium inciderat. Cum illam duci videret maritus, amore, & miseratione stimulatus, assumptis sociis, multisq; simul ex plebe agrestium, proruit; & cæsis nonnullis, cæteris fugatis, misellam illam liberat, salvamq; in oppidum exultans, & aliis simul spoliis decórus, reducit. Unde agrestibus sæpius in hostem procurrendi, aliis verò extra mœnia securiùs agendi audacia crevit. Octavâ Novembr. tormenta sua & omnem apparatum bellicum, tardiùs scilicet ob pondus & viarum difficultates insecutum, accepit Chmelnicius. Invictâ itaq; oppidanorum constantiâ destinatis suis moram injici molestè ferens, postquàm oppugnationum instrumentis potitus esset, quatere urbem cæpit globis tormentariis. Quorum sedecim, urbis ædificiis editioribus, publicis & privatis, impacti, aliquo murorum, cætera vix notabili

Maritus liberat cum periculo uxorem.

Oppugnationum initium.

notabili damno decidêre. Unus ex tot ictibus aurigam quendam abstulit. Porrò autem mendacibus etiam minis lassare oppidanos nitebatur hostis, jussis undiq; simul canere classicis. Quibus oppidani ad flagrantissimas preces & supplicia, curâ armorum interim minimê omissâ, versi, cum posteà astu, vanoq; territandi consilio, excitatum tubarum strepitum cognôssent, valido ex irâ & religione impetu, in suburbium Janovicense, ubi Glovacius homo Polonus, sed ut diximus, patriæ & fidei suæ oblitus, cum multorum millium exercitu stabulabatur, effudêre se, non parvo hostium, nullo suo detrimento. Arctiùs deinde cingere urbem Chmelnicius cæpit, structisq; suggestibus oppugnare validiùs. Semel circa mediam noctem conclamari, velut ad expugnationem, jusserat, idq; binis ex locis, quò avocatâ illuc omni oppidanorum diligentiâ, situm in medio spatium, cui maximè insidiabatur, negligeretur, pateretq; deinde assultantium conatibus. Sed sensit hostis, totũ urbis ambitum pari propugnatorum vigilantiâ ac fortitudine defendi. Et non minus in silentes illos, quos in insidiis positos, lucidi apud alios sclopetorum ignes prodebant, tormentorum & fistularum ictûs detonabant. Istic non modica

Dolus hostilis.

Oppugnatio acerrima.

dica ſtrages edita eſt; ſed eam ſublatis, per noctis opacum, cadaveribus obtegere Coſaci laborabant. Eâdem nocte cum conticuisſet undiq; armorum ſtrepitus, oppidanis, nihil de vigilantiâ remittentibus, prodigia in aëre ſereno obſervata esſe refert Profesſor & Canonicus Zamoſcianus, Joannes Bytomsky qui in Urbe obſeſsâ omnium iſtarum rerum ſpectator fuit. Cujus adeò fidem hîc ſequor. Draco nempe igneus apparuit, cujus cauda tota rubens & quaſi ſangvine plena Chmelnicii caſtris impendebat: caput verò pariter cruentum in meridiem tendere viſum eſt. Id ſignum, poſtquam diutiuſculè hominum multorum oculos tenuisſet, tandem capite ad caudam ſe contrahente crasſeſcens, verſumq; in Orientem, in nubes paulatim evanuit. Poſt horæ dimidium vipera ſupernè conſpecta eſt, quæ in ſagittæ gracilitatem ac longitudinem protenſa, locum ſuum immotum, aliquandiu tenuit, donec pariter flexo in orbem capite diſparuit. Ferunt hæc eadem ſigna hoſti obſervata non parùm conturbâsſe animos; cum præſertim ſagæ, quarum incantamentis multum tribuisſe dicitur Chmelnicius, quibus etiam alii hæc ipſa in aëre oſtenta accepta ferebant, ſiniſtra pariter prædicerent. Et poſtero quidem die

Prodigia.

is cum

is cum agrestibus suis multum luctæ habuit, qui se solos in oppugnationes murorum prodigi querebantur, Cosacis plerisq;, post terga ipsorum, in tuto latentibus. Dato itaq; laborum periculorumq; interstitio, plebs illa direptionibus incendiisq; circumjectorum pagorum, delicias sibi facere jussa est. Posteà, quo undiq; urbem circumdaret obsidio, nova legio, ductore Hladkio, latus meridionale occupavit, sumptâ inprimis statione in Aula vel potius Arce suburbana, (nam & hæc muro fossâq; circuibatur) quam Thomas Zamoscius, Joannis filius, Regni pariter olim Cancellarius, magnis impendiis, haud procul à sylvâ, & ibidem instructo vivario, excipiendis magnis hospitibus, tum verò filii quoque sui educationi adornaverat; adjecto insuper horto, cui multæ arbores herbæq; peregrinæ decus addebant. Cæterùm urbem, ita undiq; circumseptam, credebat hostis faciliorem jam fore ad paciscendum. Itaq; eundem Mokrscium Canonicum, qui, nuper Leopolitanorum fecialis, nunc à civitate illâ pactæ summæ reliquum Chmelnicio attulerat, in urbem immittit. Qui solitâ facundiâ & dexteritate hostis potentiam & huic minimè suffecturam ullam defendentium obstinationem, Præfectis ob oculos posuit.

Plebs Cosacica obmurmurat.

Ad pacta iterùm invitantur Zamosciani.

posuit. Hi primùm in extrema omnia, quàm ad paciscendum proniores adhuc erant. Sed cum Canonicus & cum eo alii, captivorum calamitatem, tum suorum intra mœnia famem, & inde pereuntium multitudinem, equorum quotidie cadentium numerum, & hinc metum contagionis ostenderent, eò deniq; flexêre Ductores, ut audire sustinerent, quid postularet Chmelnicius. Mox & commeante ultro citroq; feciali illo, effectum, ut ex obsessis duo viri nobiles, Alexander Gruszecius, & Georgius Morochovius de conditionibus acturi, mitterentur. Quibus Chmelnicius scalas ostendit, transcendendis muris apparatas. Arbores erant è sylvâ recentes, quibus rudi manu insertæ fuêre trabes transversæ, eâ crassitie, ut singulis gradibus terna corpora possent insistere. Quælibet scala quinquaginta propè hominum onus futura videbatur. Unde colligi proclive est, quâ agrestium strage earum machinarum ad mœnia applicatio constitura fuerit. Revertebantur tum quoq; ad Chmelnicium Tartari Cosacis permixti; immensam captivorum pecudumq; vim ducentes. Tanto major nostris commiseratio mota. Qui simul non sine gemitu atq; admiratione hostis securitatem, inconditamq; & vel modico exercitui

Pacisci incipiunt obsessi.

Scalæ Cosacicæ.

exercitui domitu facilem multitudinem expendebant. Quippe agmina in immensum extensa incubabant campis patentibus, sine metu & nullis antepositis vigiliis. Plurimos iners otium aut crapula in somnum profundissimum deposuerat. Summa quippe rerum omnium istic abundantia erat, cum in solo fæcundissimo autumnum uberem, & horrea messibus referta reperissent. Sed eos nimis avidos copia ipsa corrupit, & fructuum carniumq; affluentiâ abutentibus magis, quàm fruentibus, in morborum materiam cibi cessêre. Unde ortâ contage, multi quotidie interibant. Eò magis properandum duxit Chmelnicius, ut vel expugnationi urbis impenderet gratis moriturum populum, vel, inito cum obsessis pacto, aliò duceret morarum pertæsos. Datis itaq; obsidibus, hinc quidem duobus illis, quos ante nominavimus, illinc Mozyrâ & tribus aliis Cosacis, Scythis deniq; binis Murzako & Janczarzycio, cum sex dies negotiationi insumpti essent, consensit tandem Chmelnicius in conditiones ab oppidanis propositas, inq; viginti millia florenorum, cùm primùm ducenta aureorum millia poposcisset.

Securitas hostilis.

Obsides dantur utrinq;.

Inde præconio publico vulgatâ pace, eousq; fidebant sibi partes, ut sermones & merces

merces commutarent, Cosacis Tabacum, vinum, & destillatione, ex maceratâ siligine elicitum liquorem avidè quærentibus: oppidanis vicissim aurum, argentum, stannum, lintea, boves & alia id genus spolia perexili ementibus. Poterat enim bos floreno uno acquiri, & pari cum bobus pretio venibant captivi, quos passim populabundi Tartari prehenderant. Avaritia tandem & mercium vilitas nimiùm quoq; sibi viles reddebat plurimos oppidanorum. Quippe dissvasu prudentium parùm moti, nonnunquam & clam per muros exitu quæsito, partim contagiosis cadaverum exuviis, aliisq; infectis mercibus morbum mortemq; sibi accelerabant, partim à petulantibus, extra suorum conspectum, abducti, vestimentis exuebantur, ludibrium debentes aliis, qui in mænibus omnium quæ fierent, arbitri stabant. Cum pecuniam accepisset Chmelnicius, captivi redditi sunt, fide non satis bonâ. Quippe nonnisi sexaginta homines, præter Georgium Belzecium primariæ nobilitatis virum, & tres ejus famulos, Germanumq; quendam, nuper excubiis apud nostros præfectum, rediêre.

Commercia post obsidionem.

Captivi malâ fide redditi.

Aderat destinata solvendæ obsidioni dies (XIX. Novembr.) cum novi in castris hostilibus motûs, oppidanos novâ solicitudine

dine arrexêre. Ibat quippe ad Chmelnicium Smarzevius à Joanne Casimiro, tum recens electo Rege internuncius: cui obviæ hostium turmæ, rem eminùs spectantibus speciem metumq; dabant hostilitatis. Sed missi speculatores gratulationibus & conviviis intentum reperêre hostem. Et totos sanè tres dies epularum festivitate extrahit Chmelnicius, tormentis, tubis, tympanisq; lætitiam monstrans, quam ex prospera Regis in solium avitum succesſione cepisset. Tandem 24. Novembr. præmissis impedimentis discessit: quem paulatim insecutæ, quæ Mozyræ, Kapustis binis, Hieræ, Wolko & aliis istiusmodi parebant legiones. Reliquæ tertio demum die urbem metu exsolvêre. Quæ dein in supplicationes, hymnosq;, omnibus templis inq; varia passim læticiæ argumenta cumulatissimè se effudit. Quanquam intra mœnia, & multò magis propè urbem omnia summum squalorem longè lateq; monstrabant. Si quid integrum relictum erat, id jam reduces illi globi hostiles, qui paulò ante in diversa sparsi, omnia latè percurrerant, absumpsêre. Immaniter inprimis Tartari grassabantur. Quorum ingens numerus, Sultano Galgâ, Sultano Muratin, & Tohaibego Ducibus, viscera Poloniæ, penè ad Vistulæ usq; ripam,

Terror inanis.

Festivitas inter Cosacos ob electũ Regem.

Tartarorum grassationes.

ripam, ſcrutatus erat. Ut nihil adeò prædonum iſtorum rapacitatem in propioribꝰ territoriis potuerit effugere. Vix forſan falſi ſuſpicionem evitabo, referam tamen id, quod ex hominibus fidem merentibus accepi, Hominum varii generis hâc tempeſtate plusquam ducenta millia abducta esſe. Sed addam aliud, in quo non minus fortè laborabit fides hiſtoriæ: Ex ingente barbarorum numero vix tertia pars, & porrò de innumerâ captivorum multitudine, vix quingenti in Tauricam pervenêre. Adeò hos frigidi aëris injuriæ & fames, utrosq; verò morbi peſtiles attrivêre. In eodem hoc itinere, aut ſaltem eo vix confecto, periit ex malè ſanato, quod ad Zamoſciam acceperat, vulnere Tohaibegus, prima & præcipua Poloniæ peſtis. Quippe qui ante omnes, datis Chmelnicio ſuppetiis, tenuisſima iſtius hominis principia, in tantum faſtigium evexerat. Sed vindex flagitiorum Numen noluit hominem tot malorum autorem, ſcelere ſuo diu frui.

Tohaibegi Tartari mors.

HISTORIÆ POLONÆ PLENIORIS
LIBER IV.

HOste jam in Russiæ extrema remisso, nos Varsaviam remeamus. Ubi uno post cæptum Leopolis obsidium die, sexto scil. Octobr. Anni 1648., Electio novi Regis inchoata est. Id tempus in Convocatione Ordines definierant: & rebus creperis haud aliud præsentius suppetebat remedium, nisi ut quàm primùm sub unum caput colligerentur Regni vires. Quo deficiente, nihil nec auspicatò, nec ordine gerebatur. Neque unquam profectò in Rempubl. Rectore suo nixam tantùm hosti licuisset. Qui & ipse mox Regiæ autoritatis vim agnoscere visus est, cùm, quò propius nominatio Regis immineret, hoc magis remisit animos. Cæterùm ubi tempore & loco ad Varsaviam præfinito, cives omnium ordinum, hoc est, Senatores quà Ecclesiastici, quà Politici, & porrò Equites, quorum omnium in diversâ fortunâ par ad Electionem potestas est, convenissent, Boguslaus Comes de Leszno, nuperæ Convocationis moderator, vir summè facundus ordinem Equestrem, qui in eo-

Electionis festinandæ necessitas.

Electionis initium.

dem quidem campo, sed seorsim tamen à Senatu, congregabatur, ita allocutus est:

Oratio Boguslai Comitis de Leszno.

Quod faustum esse superi velint, campestre & nomini scilicet genioq́ Polono congruentissimum, Cives, intravimus theatrum. Dissimile sanè illi, quod olim tributo gentium, & certante omnium orbis partium ambitiosâ luxurie exstructum, spectaculorum jucunditate novissimos Romanorum ludificabatur, & tragicarum miseriarum, quas sub dominantibus patiebantur, novâ arte imaginem simul, oblivionemq́ spectantibus præstabat. Introducebantur istic maria & certamina fluctuum, ut inter illa pugnarum simulachra, vera ac patriæ scilicet debita & necessaria cura efflueret: amorq́ libertatis in facticiis aquarum vorticibus extingueretur. Committebantur hominum bestiarumq́ paria, ut his oculos pascens Romana juventus, decoros belli labores expavesceret simul & adspernaretur. Atq́ id humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset. Diversum inquam, ab illo nostrum hoc theatrum est, quippe quod nativum, & ab omnium rerum opifice manu, non Regio alicui umbraculo, sed apertissimo cœli laqueari subjectum, antiquissimam & innocentissimam Terrigenarum, at genere animisq́ nobilium, præfert majestatem. Non hic cassibus libertati insidianti

Theatri Romani comparatio cũ campo, inquo Electio fiebat.

ſidiantibus circumdamur, non caveis à manu dominâ cicuramur. Patet undiq; theatrum, & ad exemplum genuinorum Poloniæ pectorum nihil celat, nihil abſcondit. Et ut Romanorum aliquis domum ſibi optabat, quæ undiq; recluſa, quicquid ageret habitator, oculis exponeret omnium: ita hoc campeſtre Capitolium, nullis parietibus à conſpectu hominum ſubductum, Polonam ingenuitatem orbi enunciat: ut quæ per rationem Status, quam aliæ gentes jactant, nihil recondit, ſed propalàm, teſte cælo & cælitibus, ſpectante orbe Chriſtiano, jura Majeſtatis exercet, & quod auguſtius eſt, diſtribuit. Gaudemus hoc ſuper alias omnes nationes privilegio Poloni, quod per nos Reges regnant. Id quod actus iſte libertatis tutelæ deſtinatus, hic campus, cunctis ſcenarum divitiis pretioſior, brevi oſtendet. Arduum enim verò eſt quod aggredimur, Cives. Servum commodum, ſi parva magnis licet componere, reperire, difficile eſſe ajunt, quantò difficilius, Rectorem. Non malè ſapuiſſe cenſetur ille, qui facilius ſumi principem, quàm quæri judicavit. Nobis jam quærere principem incumbit, & quod maximum, quærere bonum. Ubi autem is quærendus, ſi verum eſt, quod pronunciavit quidam, bonos Imperatores annulo inſcribi poſſe? Inprimis Vladislao

Electionis difficultas.

Vladislai IV. laudes.

nostro, quem cœlum sibi vindicavit, magnò profectò labore quærimus successorem, majore & forsan nullo, parem inventuri. De cujus laudibus non est, quod dicere hic ordiar. Orbi notus fuit, & vivit vigetq́; immortalis ejus memoria, non fabrefactis inscripta colossis, quales ubi posteritatis judicium in odium vertit, pro sepulchris spernuntur, sed in æternitate temporum, famâ rerum: vivetq́; eadem porrò, fide annalium, sempiternæ tradita posterorum venerationi. Ille, ah! ille fuit, qui post beneficum multorum annorum imperium, solâ morte suâ de Republ. malè meritus est.

Sævitia, est voluisse mori.

Mala Poloniæ.

Phœnix fuit noster, cujus cineres cum nobis proh dolor! similem non reliquerint, dare nobis similem perarduum est. Et auget difficultatem temporum sinisteritas, quando jam destitutâ ad pœnam patriâ nostrâ, nescio quæ fatalis periodus summa imis miscet. Stupemus, Cives, ad congeriem malorum nostrorum. Amisimus Principem, amisimus Duces, exercitus, opes, & quod præcipuum, existimationis ægrè admodum reparabile damnum fecimus. Jam si diffidentias, simultates, privatas stimulationes, & spe maloq́; ambitu obnoxias mentes spectamus, non difficultatis tantùm, sed periculi plena redditur Nobis

Electio.

Electio. Haud pensi est, quod nobilis ille Romanus notavit, esse privatis cogitationibus progressum, & prout velint, plus minusve sumi ex fortunâ. Imperium cupientibus nihil medium, inter summa & præcipitia. Attamen erigamus animos, Cives, & ne nimium scopulis, qui se nobis objiciunt, terreri aut dejici nos patiamur. Difficilia quæ pulchra. Et ipsa hæc, si rectè perpenditis, difficultas, gentis nostræ præcipuum & solatium & ornamentum est. Non aliunde quippe illa nascitur, quàm quod apud nos, non una dominantium domus, cæteri servi; & quod pro arbitrio legimus principem, non ex cunis acceptamus. Jactet Electionem suam Romanum, quale hodie est, Imperium. Intra septem Capita illa consistit. Reliquis imponitur, ac si natus esset, Dominus. Ab alienâ voluntate exspectare illum coguntur. Sola Polonia insolito aliis omnibus Regnis modo, Principem eligit. Hîc quot Equites, tot Electores: quot lingvæ liberæ, tot suffragia. Et hæc non in conclavi, sed in aprico, non schedulis aut tabellis, sed vivis vocibus feruntur. Ea ut dii benè vertant, (gentium verbo, Christiano sensu loquor) divinæ Majestati supplicandum est; precandumq; , ut flexo, non in nos, gratiâ ejus indignos, sed in vastitatem Domuum suarum, & ingentem hanc

Electionis bona.

Sacrorum profanationem oculo, nunc tandem, quos servili subditorum flagello iratus castigat, boni Principis munere clemens exhilaret. Ne patiatur nos, extremo malorum, discordiâ, ad exitium fatigari. Inclamet ipse nobis cœlitus svave illud, Pax vobis. Faxit deniq; ejusdem benignitas, ut hanc patre orbam Virginem bene & felice quâdam animorum concordiâ elocemus: quod fiet, si non sibi quisq;, sed publicæ rei omnes Principem legerimus.

Director Electionis.

Hæc prolocutus addidit, Conventui huic directore opus esse, & nihil cunctatus Philippum Casimirum Obuchevicium Tribunum tum Mozerensem, posteà Palatinum Smolenscensem nominat, Lithvanum gente, quia inde ordo usitatus jam sumi moderatorem postulabat. In quem tota illicò sine refragatione consensit Equitum corona. Hoc igitur præeunte, primò omnium illata, quæ ad ordinem & securitatem conventûs facerent. Ac præcipuè judices constituti, qui, novendecim numero, secundum leges, jus dicerent, & debitâ in peccantes severitate omnia redderent quieta. Tum leges quas talibus conventibus Majores præscripsissent firmatæ declaratæq;, quarum aliquas propter exteros talium curiosos enumerabo: Principiò vetus sanctio,

Leges Electioni præscriptæ.

ctio, quâ machinæ bellicæ & peregrini procul haberi jubentur, ita explicata est, ne cuiquam intra tertium à Varſaviâ lapidem machinas vel peregrinos adducere liceat. Qui ſecus faxit, eum electionis jure privandum, aut ſi excludi ſe non patiatur, pro hoſte patriæ habendum. Peregrinis autem non accenſendos terrarum ad Poloniam vel Lithvaniam pertinentiū incolas, quantumvis lingvâ & habitu diverſos. Nec ſtringi hâc lege exteros, qui vel ſinguli, vel aliquot numero, Equiti alicui Polono, familiares in uſus, nullo militari obſequio devincti, aut etiam ſpectandi causâ, pacati in urbe degant. A loco tamen conſilii publici ut per Mareſchalcos arceantur omnes, qui nullo vinculo Reipubl. illigati tenerentur, ſancitum. Tum porrò legati exterorum extra Varſaviam, certis limitibus, quos egredi nefas ſit, circumſcripti. Adhæc vetitum, ne quiſquam bombardâ, arcu aut alio armorum genere minus uſitato, (acinaces autem, framea, ſpatha pro uſitatis habentur,) inſtructus locum Electioni dicatum ingrediatur. Qui ſecus facit, eum ducentis ſelibris ſeu marcis & ſex hebdomadum carcere multandum. In malleos roſtratos & pugiones par mulcta pecuniaria decreta eſt. Peditibus quoq; armatis

loco illo Electionis interdictum. Tum jura hoſpitiorum deſcripta, quò ſuum quisq; pacatus occupet teneatvé, violentiæ in aliena abſtinens. Atq; ut pariter in omnibus tam publicè, quàm privatim quietè agatur, edictum. Eo fine & cum ſatellitio multo prodire in loca publica, & bombardas oneratas, per aut propter urbem circumferre, gladiumvé ſtringere, rigidè vetitum: tumultuari verò circa Comitium auſo, percusſori item, multò magis interfectori hominis, etiam plebeji, pœna capitis aut ſi judicium is effugisſet, infamiæ, conſtituta. Adhæc Pons, (nam in hâc nimiâ multorum licentiâ etiam minuta legibus circumſcribenda videbantur) quem ex ſcaphis colligatis Viſtulæ inſterni Præfectus ærarii curaverat, ne violetur, nevé à vectoribus tum, cum Ordines coëunt, vel etiam digrediuntur, occupetur, deniq; ne in tranſitu alius alium de induſtriâ dejiciat, cautum, capitis etiam ſupplicio, ſi quis tali truſione ſubmerſus fuerit, in detruſorem, conſtituto. In locum conventûs, inprimis quà aggere circumductus is esſet, nemini equos vel currus inducere permisſum, & ne circa ingresſum materia litium ſuboriatur, alii aditûs Minoris Poloniæ, alii Majoris, alii Lithvaniæ civibus dati. Pueri aliivé
levioris

levioris notæ famuli, à conventûs ſpatiis exesſe, & pasſim alibi à vociferatione & immodeſtiâ omni abſtinere, inprimis autem erga legatos exteros, eorumq; famulos, reverenter agere, atq; ab omni contumeliæ etiam ſpecie, temperare ſibi jusſi. Mercatoribus quoq;, inſtitoribus, opificibus & cauponibus ne quicquam vi auferatur, ſeverè cautum: ſed iisdem etiam, ut pretio, quod Mareſchalci cum reliquis deputatis definierint, merces ſuas vendant, injunctum, pœnâ in delinquentes conſtitutâ. Cauponibus porrò loco conventûs interdictum, & ad octavam veſpertinam vendere ſua permisſum, non ultra. Duella omnia ſeverisſimè vetita. Legum harum executionem Mareſchalcis quatuór, & quindecim inſuper viris, ad id ex Senatu & ordine Equeſtri electis, fidemq; incorruptam, & integerrimam juſtitiæ curam ſolenni juramento pollicitis, demandata eſt.

Cæterùm iſta ut antiquitus ferè recepta, facilem pleraq; apud Regni ordines conſenſum reperêre. Ardua magis & difficilioris longè explicatûs ſuper ſecuritate Reipubl. deliberatio erat. Illi ceu corpori ſaucio, & Capite manibusq; quodammodò trunco, quò propiore periculo incubaret hoſtis, eò maturiùs intentiùsq; proſpicien-

 dum,

Inquisitio in autores dissipationis Pilaucianæ.

dum censebatur. Si otium dedisſent crepe-ræ Regni res, ante omnia equidem ratio actorum à nuperis belli Rectoribus postulata, inq; autores dissipati exercitûs severè inquisitum fuisset: optimo quoque, tam inaudito in hâc Reipubl. malo dedecoriq; infremente, nec publicè etiam ab acribus abstinente censuris. Ac quidam ex Magnatibus publicè privatimq; innocentiæ suæ causam, cum curâ, non postulati etiam, dixêre: patuitq; equidem, plurimos istîc extra culpam, nec nisi publicæ confusionis quasi torrente abreptos fuisse. Neq; ulla liquidior mali tanti, exceptis divinis, causa apparuit, quàm quod parva Ducum autoritas, & in nimiùm multos divisa fuerit. Nimirum regimen & ordinem rerum nihil faciliùs quam regentium multitudo tollit, perditq; ut plurimùm tam eos, qui regunt, quàm qui reguntur. Sed curiosius in omnia animadverti tum non licuit, re potius, ne in futurum delinquatur, dispici postulante, quàm anxiè inquiri in delicta.

Causa ejus dissipationis.

Regimen exercituum Visniovecio datur.

Ac cùm primò omnium novum exercitûs Rectorem constituere placeret, cunctorum illicò judicia in Jeremiam Michaelem Visniovecium consensêre: Ducem civili æquè ac militari ingenio, bello verò jamdudum, ac rerum, hoc ipso etiam rebellii Cosacici tempore

tempore gestarum gloriâ clarissimum; ideoq; etiam nuper Leopoli à milite & quotquot istîc fuissent ex nobilibus Proceribusvé, nominatum militiæ Ducem. Quod ab aliquibus, exempli noxam verentibus, sinistrè acceptum est, tanquam sine publico omnium consensu factum. Visniovecio tamen id non obfuit, qui onus illud, extra ordinem sibi oblatum, ægrè admodùm, nec nisi salvo jure aliorum, qui suffragium suum absentes addere non potuissent, susceperat. Jam igitur illi magno atq; amplissimo totius Regni consensu, belli regimen defertur, ac tantis quidem studiis, ut aliquibus ex Senatu morari aut accidere hanc ejus dignitatem visis, voces asperæ & propè gladiorum mucrones opponerentur. Visniovecio Duci collega adjunctus est Andreas Firlejus, Castellanus Belzensis, vir natalium splendore, prudentiâ, & quod tum præcipuè expendebatur, ætate in bellis tritâ venerabilis.

Collegæ Visnovecio datur Firlejus Castellanus Belzensis.

Constitutis ducibus de titulo eorum disceptatum: plerisq; ex ordine Equestri, usitata summæ in bello autoritatis nomina illis dari postulantibus. Alii alia potius indenda svadebant, quò captis apud Corsunum Ducibus honor salvus, & Regi futuro, liberior mutandi facultas maneret. Et horum

Tituli Ducum belli.

horum quidem sententia prævaluit, reliquis blandâ ratione persuasis, ne nominum inanibus tempora Reipubl. pergerent morari. Hinc milites, tam quos Pilavicensis dissipaverat confusio, quàm quorum ad castra iter, dissipati exercitûs fama, diversis in locis, stiterat, literis consensu ordinum scriptis severè moniti sunt, ut intra mensem illi, hi ante proximos dies quindecim exactos, ad Visniovecium & Firlejum confluant, sub horum imperio periclitanti Reipubl. adfuturi. Inprimis Christophorus Przyjemscius Tribunus cum mille ducentis suis, & Sigismundus Dönhofius Præfectus Sokalensis cum quadringentis, cum totidem Corsius, properare versus laborantes terras jussi sunt. Pleriq; etiam procerum, ne patriæ nutanti deessent, satellitia sua, augendo Reipubl. exercitui, mittere destinaverant. Et Archiepiscopus Regni Primas centum quinquaginta pedites, totidem Episcopus Varmiensis Venceslaus Lescinius, Nicol. Gnievosius Episcopus Vladislaviensis pedites quinquaginta, velites quadraginta, Episcopus Posnaniensis centum, Culmensis qui idem tum Regni Procancellarius, totidem; & sic alii pro facultatibus suis quisq; offerebant. Ossolinsciꝰ verò Regni Cancellarius & Leo Casimirus Sapicha Vice-

Milites adversus hostem expediuntur.

Satellitia magnatum eodem destinantur.

Vice-Cancellarius Lithvaniæ, mittere pollicebantur, quicquid haberent circa se hominum, arma gestare habilium. Habebant autem sat grandem manum, posterior inprimis, utpote opibus præpotens. Et jam istis quasi prætoriis Magnatum cohortibus Duces dispiciebantur; præq; aliis Paulus Sapieha Palatinus tum Vitebcensis, postea Vilnensis ac Magnus exercituum Lithv. Dux, & Georgius Rzecicius Præfectus Urzedoviensis, hisq; detrectantibus, alii jam muneri isti destinari cæperant. Sed huic curæ intercessit veniens de Brestiâ Lithvanorum à Cosacis exustâ nuncius. Hoste enim adeò propinquante privatum hunc militem custodiendæ Varsaviæ, ubi cadaver Regium, & de summâ rerum consilia haberentur, servandum esse visum fuit. Quidam quoq; ingruentibus ita periculis, suadere cæperant, ut Principes Vladislai defuncti fratres Varsaviam vocarentur; tametsi id legibus videretur adversum: *has quippe ex necessitate & usu Reipubl. latas, eidem pariter attemperandas esse. Hoc esse illis pulcherrimum demerendæ sibi Reipubl. tempus: & spem magnam superesse, rebelles non minus Regii sangvinis majestatem, quàm in cæteris armorum aciem reverituros.* Sed horum utrorumq; dicta contradicentium multitu-

Duces Satellitiorum.

Fratres Regios quidam Varsaviam vocandos censent.

multitudine irrita fuêre. Quia verò ab hoste periculum magis indies gravesceret, de eo propulsando, tuendâq; sic publicâ securitate variè adhuc deliberatum est. Ac quamvis in tributa nova, tum in militum faciendos delectus, & deniq; in expeditionem publicam, Rege electo, mox occæptandam, pleræq; omnes provinciæ consensissent; haud tamen unquam adhuc sibi ipsi satisfaciebant, multò minus profugis ex afflictâ Russiâ, Lithvaniâq; civibus, qui ut alendæ inopiæ suæ subsidia, ita properam terris suis opem à fratribus suis, & communi matre Republ. quotidianis precibus & quiritationibus efflagitabant. Et proponebantur varii adhuc conficiendi tum militis, tum æris, modi, præcipuo quoq; suæ pro Republ. curæ ac studio, ingenium quoq; facundiamq; addente. Audita etiam nonnullorum, opes privatas cum Republ. partiri volentium haud contemnenda promissa. Inter alios Regni Referendarius Alexander de Otok Zalescius, facundiâ & juris peritiâ eminens patriæ civis, ducentas selibras argenti solidi obtulit, cæteris, inprimis iis, qui plus possent, exemplum futurus. Sed plures approbatores, quàm imitatores habuit. Quidam pretia monetæ augeri, militum stipendia minui, argentnm deniq;

Securitati variè consulitur.

Argenti conficiendi rationes novæ.

deniq; ſacrum, ut olim in Hiſpaniâ contra Mauros factitatum ſit, redimendæ publicæ ſaluti impendi: alii decimam partem proventuum à quovis nobili, atq; ordine etiã Eccleſiaſtico conferri ſuadebant. Sed conſenſus in iſtis defuit, neq; tum ultra bina per Regni provincias tributa, & certas militum ſuppetias, publicæ deniq; decretum expeditionis processum eſt. Dixeris vigili pro Poloniæ rebus providentiâ fati ita ſubductas impendiorum rationes, ne ſupra vires decusq; patriæ, vel deniq; neceſſitatem eſſent. Præſens enim periculum, uti mox apparebit, ſine omni ſumptu, ſolo mox Majeſtatis Regiæ oppoſitu, amotum eſt. Lubet tamen Palatinatuum aliquot laudata pro Republicâ conamina hîc exponere. Poſnanienſis cum * Caliſſienſi junctꝰ Palatinatus ad hoc bellum promiſit milites bis mille & ducentos, bina inſuper de ſingulis focis tributa, & ſi opus foret, generalem ad arma evocationem recepit. Totidem tributa, Cracovienſis; milites verò mille ducentos: præter ordinarios, quos tutandæ Regni metropoli ſervaret; cui & viritim publicâ edictione ſuccurrere ſpondent, extra ſuum tamen territorium, cui metuendi maximé è vicino hoſtes eſſent, haud profecturi. Sendomirienſis Palatinatus mille milites & ducentos

Palatinatuum delectus & tributa ad bellum.

** Poſnanienſium & Caliſſ.*

Cracovienſium.

Sendomiriensium. ducentos pollicetur, in cæteris Posnanienses imitaturus. Minora aliæ terræ, sed si modũ virium spectes, non minus aliis promittebant. *Lithvanorum.* Lithvani decem tributa (ut vocant) agraria & insuper vectigalia in Comitiis ani 1647. constituta dare recepêre: hoc præcauto, ne in alias quàm belli necessitates à Thesaurario illius Ducatûs erogentur. *Judæorum.* Judæis præter exactionem nuper in singula capita factam, aliquot iterum millia imperata. *Règiarũ Civitatum.* Regiis verò civitatibus, viginti quinq; florenorum millia, donativi nomine, in stipendium militis supernumerarium indicta, quò is in itinere se tantò gereret continentius. *Leopolitanis cavetur.* Leopolitanæ deniq; urbis civibus, qui nuper, præsente summo periculo, nonaginta millia florenorum in novos delectus laudabili promptitudine suggesserant, publicâ fide satisdatum, &, ut ille, qui summam istam accepisset, in Comitiis Coronationis rationem expensarum reddat, injunctum est.

Hæc non sine magno animorum motu & multis contentionibus perrogabantur. Subinde autem intersonabant voces civium aliorum, qui facto tandem deliberationum compendio, Regis eligendi negotium suscipi flagitabant. Et privatim quidem inter proceres jamdudum ea cura, sed

studiis

ſtudiis multum diſcordibus, fervebat. Erant *Diſcor-* ex Sigismundi, laudatisſimi Regis, filiis, *dia vota* defuncti Vladislai fratribus, duo ſuperſtites, *in Rege* Joannes Caſimirus, & Carolus Ferdinan- *eligendo.* dus: quorum ille ætate prior, aliquot in Poloniâ præfecturas, & poſt mortem fraternam, Regni Svecici titulum; alter Epiſco- *Candi-* patum Uratislavienſem & ſimul Plocenſem *dati Re-* tenebat. Hos inter Principes vacillabat *gni Fra-* Electio, euntibus in factiones civibus, & *tres Re-* aliis hâc, aliis aliâ de causâ, pro hoc illové *gis de-* decertantibus. Nam quod de aliis externis *functi.* musſitavit fama, intra cogitationes forſan aliquorum, ſed paucorum tamen, nec diu conſtitit. Cæterùm circa Principes fratres tantus erat contendentiũ ardor, ut metuerent multi, ne, quod unum ſcilicet labentibus in exitium Polonorum rebus deesſe malum videbatur, in partes omninò diſcederet Reſpublica. Nec inter legatos exterorum Principum eâ in re ſatis conveniebat. Nam ut quidam apertè pro Joanne Caſimiro nitebantur, ita alii ſcisſam in contraria ſtudia Poloniam conſpicati, diu ſenſum animi recondebant, generatim Jagellonicum ſanguinem Civibus Polonis commendâsſe contenti. Ita utrumq; Principem juvantes, neutrum ſibi videbantur offendere.

Oratores & Legati exterorũ Principum.

Pretium autem operæ videtur, ponere nomina Oratorum Legatorumq;, qui tum, Varsaviæ, Principum quisq; suorum partes agebant. A Pontifice Romano aderat Torresius, tum Adrianopolitanus Archiepiscopus, & ad Poloniæ Regnum Nuncius. A Cæsare primùm prodromus, mox legatus Ferdinandus de Carretto, Granæ Marchio, consiliarius Imperialis. Ex Gallia præter Dominum de Breze, Comes Arpajus. Ex Sveciâ Laurentius Cantersteinius Reginæ à Secretis, literas ab eâdem & certa postulata ferens. Ab Electore Brandeburgico bini, Joannes Höverbequius Consiliarius Electoris intimus, & Carolus Olsnicius. A Principibus Neoburgicis pariter bini, Joannes Berthranus de Scheid, Serenissimæ Principis Catharinæ Constantiæ, quæ Sigismundi III. filia, Philippo Vilhelmo Palatino-Neoburgico Duci nupserat, Mareschalcus, & Franciscus Gize ejusdem Principis Cancellarius. A Duce Curlando Vilmannus consiliarius, cui eidem Marchiones Brandeburgo-Anspacenses juris sui, quod ad successionem Feudi Prussici prætendunt, negotium commiserant. Hi omnes benevolentiam Dominorum suorum erga Regnum Poloniæ, & dolorem ex morte Vladislai Regis, multipliciq; hâc Regni calami-

Legatorum exterorum postulata.

calamitate susceptum, prolixè testabantur. Pontificius præterea, *ad concordiam animorum curato sermone hortabatur Ordines: Regemq́ eligi svadebat Catholicæ fidei studiosum, atq́ inprimis ex Sanguine Jagellonico, domoq́ adeò Sigismundi, qui ipse, præhabitâ quodammodo Regnis suis hæreditariis Poloniâ, & multis suis erga hanc beneficiis meruerit, ut, quemadmodum olim Vladislaum successorem habuerit, nunc in uno superstitum filiorum denuò gratum Polonorum animum experiatur.* Cæsareus antequam adveniret, per præcursorem suum generatim pariter Regium sanguinem, sed mox, cùm animi in Joannem Casimirum flecterent, Varsaviam ingressus, hunc eundem Reipubl. commendabat. Gallus à primo protenus adventu summam in Joannem Casimirum propensionem testatus, eandem tum publicè facundâ oratione expressit; Gallicam prolixè amicitiam promittens commendansq́;, *quam scilicet tot aliæ gentes, Sveci, Dani, Batavi, Mantuani, Hassi aliiq́ fidam sibi utilemq́ pernovissent.* Sveciæ Regina primis literis *sanguinem suum, prolem Sigismundi, alteris natu majorem fratrem proponebat; ea insuper amovenda ab Electione istâ monens, quæ inter Regna ista vel inimicitias excitare, vel perennem*

amicitiam remorari possent: tum & Commissarios postulans, pacta induciarum in æternæ pacis fœdus producere tentaturos, suos vicissim Lubecam vel Hamburgum mittere pollicens. Electores, postquam Heri sui absentiam, magnorum Imperii negotiorum objectu *excusâssent, Joannem Casimirum enixè commendant; in Cosacos porrò auxilia pollicentur, simul tamen pacem potius cum iis honestam, quàm bellum svadent; Deniq; ad fœdus cum Svecis æternandum, sequestram Electoris sui operam offerunt.* Neoburgici, *sanguinis Regii rationem haberi desiderabant, reliquum simul dotis, Annæ Catharinæ Constantiæ è Sigismundo genitæ nomine, poscentes. Marchionum Brandeburgo-Anspacensium nomine, ad Prussiæ feudum, ut innui, aditus, si id fortè hodiernæ stirpis Electoralis interitu vacaret, petebatur. Dux Curlandus feudi sui continuationem & simul emendationem eorum, quæ contra suum jus bonumq; ordinem fiant, rogat.*

Legatis respondetur. His omnibus Primas Regni Archiepiscopus & Equestris Ordinis nomine Moderator Obuchevicius, quæ res tum statim exigeret ferretvé, respondêre, cæteris, quæ deliberationem postularent, in aliud tempus rejectis. Cæterùm antequam istorum aliqui admitterentur, spatium datum est

audiendis

audiendis Poloniæ Principum & ſimul jam ſceptri Candidatorum legatis. Horum prioribus, qui à Joanne Caſimiro mittebantur, Georgius Tiskievicius, Samogitiæ Epiſcopus Vir pietate, doctrinâ & ſingulari animi modeſtiâ præcellens, atq; hinc anteà moderamini *Thorunienſis de Religione Colloquii* à Rege defuncto adhibitus; alteris Stanislaus Zaremba, Senatoriâ Inſulæ Kiovienſis dignitate, nec minus virtute majorum & ſuâ inſignis, caput erat. Uterq; Candidati ſui, *eximias laudes & egregium erga Rempubl. proq; eâ opes, ſanguinemq; ipſum profundendi ſtudium cum curâ deprædicabat.* Auditis Archiepiſcopus & Equeſtris Ordinis Director repoſuêre; *reverentiam domûs Jagellonicæ, tot ſeculorum ſcilicet meritis inclytæ, minimè apud cives Polonos exoleviſſe. Etiam dotes Principum, virtute majorum ac faſtigio Regio perquàm dignas, nuncq; etiam eorundem pro Republ. ſolicitudinem, ac promptam huic ſuccurrendi voluntatem, gratiſſimâ mente ab omnibus agnoſci: cæterùm quia ſceptrum Poloniæ, poſt Deum, à liberis civium ſuffragiis dependeat, brevi ex horum conſenſu clarum fore, cui id divina voluntas deſponderit.* Et poſt hæc tanto quidem magis à quàm plurimis urgebatur Electionis feſtinatio: ſed inte rcedebant ſub-

Regni Candidatorum Legati.

Reſpondetur Legatis Candidatorũ.

inde adhuc alia negotia, & immaturè ad eam accedi videbatur, nisi tum Candidatorum, tum civium pro ipsis inter se certantium animi, optato aliquo concordiæ temperamento coaluissent prius, aut saltem ex tanto contentionum æstu resedissent. Adhuc enim acriter tum dissidebatur, utrâvis parte pervincere eò impensius laborante, quò diuturniore dissensu alterum Candidatum offendisse metuebat. *Dissensiones.* Quamvis verò inter Carolinos plus nummorum splenderet; indies tamen magis magisq; Joannis Casimiri partes evalescebant, nitente pro ipso præter Reginam viduam, & Cancellarium, Lithvaniâ, atq; ejus inprimis Pro-Cancellario Sapiehâ, viro multum potente: tum Prussiæ propè omnis, eodem tendente consensu. *Joannis Casimiri partes prævalere incipiunt.* Non minùs ex cæterâ quoq; Poloniâ multa magnaq; Capita, & pleraq; nobilitas istuc inclinaverant animos: & alios, qui contradicerent, paulatim vi blandâ rationum demulcebant trahebantq; in suas partes. *Pro eo rationes.* *Inprimis major ætas urgebatur, cui, si alioquin virtutum paritas ambiguam fortè faciat deliberationem, jure tamen naturæ debeantur primæ.* Sed & alia afferebantur commendando huic principi, simulq; quæ de indole, & diverso sortis vitæq; colore à quibusdam partis adversæ solerent

lerent objici, refellebantur. *Jam olim*, ajebant, *Divos parentes, ingenium Joannis Casimiri tanto imperio non indignum judicâsse, quando paulò ante finem vitæ, illum cum Vladislao, quanquam annis & rebus gestis majore compositum, tantùm non præposuêre. Nec contemnendum ipsius Vladislai judicium, qui supremis tabulis eum ut magis idoneum Reipubl. commendârit. Adesse Casimiro præter naturæ & institutionis bona, experientiam rerum, belli & pacis negotiis, ac cuivis jam fortunæ regundæ parem. Adversitates, quæ obtendebantur, pro ipso magis jam facere: quibus exerceri & meliora sibi fata struere ac mereri, proprium sit Casimirorum.* Opes parandi nullam ei fuisse occasionem; cum quas post Patrem crevisset, fratri Regnoque impenderit; dum horum dignitatem in Aulâ Cæsaris, filiam hujus Cæciliam Renatam Vladislao adducturus, studuerit tueri. Bellis porrò fraternis, inprimis Moschovitico, non sine sumptu & cum laude fortitudinis, interfuisse. Nec peregrinationes, nisi optimâ mente & exemplo fratris Vladislai, susceptas; quarum infelicior eventus si culpetur aliquibus, iis videndum, ne convicium cœlo faciant. Innocentiam consiliorum præstare sibi homines posse, non posse fortunam. Sæpè optimè co-

gitata pessimè cadere. Quanquam & reverà benè cecidisse credi possint, quibus animus Principis ad laborum, curarum, atq; etiam frugalitatis patientiam, induruerit. Adducturum talem Regiæ fortunæ fræna, quâdam hactenus facilitate imperantis indulgentiâq;, vel etiam nimiâ parentium felicitate, longius prolapsa. Planè ut in fratre defuncto Vladislaorum, ita in hoc Casimirorum virtutes refulsuras. Porrò autem illo Rege creato, multa Reipubl. bona, jam ab ipso possessa, benè meritis civibus cessura; &, si insuper in Reginæ viduæ matrimonium consenserit, idquod in cælibe & non adverso conditionibus facilè sperandum, ingens sumptuum compendium facturam Rempubl., remissâ alterius Reginæ inducendæ necessitate. Deniq; cum Regis Sveciæ titulum gerat, sine illo nullam unquam cum Svecis rectè processuram compositionem.

Chmelnicius Joan. Casimirum mavult. Ita isti argumentabantur. Alii insuper, *ne cum Chmelnicio quidem facilem sperandam pacem, nisi Joanne Casimiro Rege electo*, disserebant. *Fore illi majorem hujus, quàm cujusquam alterius reverentiam: quippe qui jam in literis ad Zamoscianos scriptis, tum misso etiam Mokrscio, non obscuras pronioris ergà hunc affectûs dederit significationes.* Valebat aliquantum hæc ratio,

ratio, non jure aliquo, quod nullum istiusmodi contra Poloniam armatis hominibus ad Electionem competit, sed temporum iniquitate, & quod periculorum ab hoste magis magisq; augescentium increbesceret fama. Sed jam ante ista, alia quoq; argumenta Pocillatorem Regni Ostrorogium, & hujus efficaci facundiâ Visniovecium quoq; Ducem parti Casimirianæ reddiderant æquiores. Quos sequi & sensim velut fatis imperantibus cedere reliqui cæperant: sic ut fortuna Casimiri jam evidenter eluctaretur. Præter cæteros huic non parum momenti addidêre duarum Poloniarum generales præfecti: Majoris quidem Boguslaus Lesczinius, de quo ante sæpius; Minoris Georgius Lubomirscius, nunc magnus Regni Mareschalcus, & Campi Dux viri ut avitis decoribus, ita civili ingenio & doctâ facundiâ, nemini per Poloniam secundi. Hi jam tandem Joannis Casimiri partes validè amplexi, magnâ contentione eò juxta cum aliis ejus causæ fautoribus collaborabant, ut partis alterius prima capita svadendo inducerent, ne aliò verterent animum, quàm quò potior Regni pars inclinâsset. Capita autem ista erant Andreas Comes de Leszno Episcopus tum Culmensis idemq; Vice-Cancellarius, nec non Jere- *Capita Carolinorum.*

mias Dux Visnovecius. Sed uterq; autoritate suâ multos præterea alios trahebat. Dum in his permovendis laboratur, leges, quæ Regibus Poloniæ præscribi solent (*pacta conventa* vulgò dici solent) perleguntur, examinanturq; publicè, quò potestas fieret ordinibus, monendi, si quid mutatum vellent. Nec remissum quicquam de more antiquo, potestatem Regiam arctioribus terminis cludendi, quò solutior esset libertas. Cui nunquam facilius, quàm ubi vacuum Rectore regnum est, consuli posse videtur, mollibus plerumq; ad leges accipiendas Candidatis, qui postea adultâ sceptri autoritate, suæ potiùs quàm populi libertati invigilaturi creduntur. Inter alia proponebantur, quæ in causâ Dissidentium à Religione Romano-Catholicâ, à certis delegatis, apud Episcopum Cracoviensem, de consensu partis utriusq; constituta erant. In iis autem nimis multum Dissidentibus indultum esse, quidam contendebant, inprimis Masovii, qui adeò suis Palatinatibus caveri postulabant additâ clausulâ: *Salvâ ratione jurium & decretorum Ducatus Masoviæ.* Sed hanc diu multumq; frustra tamen alii oppugnabant; ex Senatoribus inprimis Sbigneus Goraiscius Castellanus Chelmensis. Tandem, post aliquot dierum discepta-

De Religione disceptatio.

disceptationes, in id consensum est, ut dissidentium libertas tuta maneret eâ lege, quæ & anteriorum Regum juramento firmata esset, & planiorem explicationem in superiore Conventu (Convocatione) accepisset. Prussi præterea jura sua in integrum restitui postulabant; inprimis illud, quo cautum sibi ferebant, ne bona Regia aliis, quàm indigenis Prussiæ darentur. Nominatim Pucensem Præfecturam negabant Magno Cancellario dari legitimè potuisse. Is verò hos propositi tenaces conspicatus, interponentis se Venceslai Comitis de Leszno, Episcopi & Principis Varmiensis, (postea Archiepiscopi Gnesnensis,) adeoq; in Senatu Prussico Præsidis, & viri alioquin apud omnes gratiosissimi, persvasioni atq; autoritati hoc dedit, ut se præfecturâ illâ sponte abdicaret, beneficium sic imputans paci publicæ, quam privatæ rei studio nollet turbatam. Tranquillos fore Prussos putabat Archiepiscopus, & jam in genua procumbere cœperat, solenni cantione Sancti Spiritûs auxilium, ad conciliandam animorum in suffragiis ferendis concordiam, imploraturus. Sed iidem illi adeò universi constanter intercedebant cœpto Antistitis, in aliis desideriis suis pariter satisfieri sibi ante inchoata suffragia poscentes:

Prussorũ postulata.

Cancellarius se abdicat Pucensi Præfecturâ.

Prussi adhuc reclamant. scentes: ut denuò surgendum fuerit mitissimo optimoq; leni. Mox cum ab aliis deliniti acquiescere viderentur, iterùm ad Numinis adorationem componere se Antistes, iterùm obturbare illi, & sua oggerere magno clamore. Nec tertius Antistitis conatus cessisset prosperiùs, nisi is fidem illis dedisset, non ante Regem nominatum iri, quam factum desiderio eorum fuerit satis. Sic tandem (XVII. Novembr.) ruentibus simul in genua omnibus, habitæ preces: confestimq; in diversa digressi, ad sui Palatinatûs antesignanos singuli sese aggregabant. Illi autem Palatinatuum Duces in suo quisq; cætu suffragia perrogantes, unũ *Joannis Casimiri* Nomen ab omnibus & singulis audiêre. Nempè enim, dum circa pactorum formulam disputatum supra fuit, plenissimè interim in partes hujus Principis etiam ii, qui validissimè alteras antè fovissent, concesserant. Et ipse Candidatus alter, Princeps pius ac mitis, nunc autem magis â familiaribus quibusdam, quàm ambitu insito ad Regni spem impulsus, tandem primi natûs juri, & nimis liquidò elucenti divino nutui animum & vota sua, postquam rebus suis clientumq; suorum certis cautionibus prospexisset, adeò non ægrè submisit, ut & preces ipse suas per literas pro

Carolus Princeps cedit Fratri natu majori.

ras pro fratre deniq; interponeret. Ita non tantum omni illo ordinum cœtu suffragatore, sed adversante jam omninò nemine, destinatum addictumq; Joanni Casimiro sceptrum est Poloniæ. Mox ex utroq; ordine nominati, qui de *pactis*, ut vocant, *conventis*, transigerent cum Principis electi legatis. Qui erant Georgius Tiskievicius Episcopus Samogitiæ, Christophorus Coniecpolscius Palatinus Belzensis, Stanislaus Varsicius Palatinus Masoviæ, Stanislaus Naruszevicius M. D. Lithvaniæ Referendarius, Christophorus Gembicius structor seu incisor generalis Regni, Alexander Lubomierscius Regni stabulo præfectus, Alexander Coniecpolscius tum Aquilifer Regni, Adamus Sieniavius Præfectus tum Leopolitanus, Albertus Lubienscius Signifer Siradiensis, Thomas Sapicha familiaris Regis aulicus. Hi jurejurando obstricti, nomine Regis Electi, in leges jam olim aliis Regibus, & proximè Vladislao IV. propositas condicunt: videlicet:

Transigunt cũ Joan. Casimiro Magnates selecti.

Regem nec hæredis Poloniæ nomen usurpaturum, nec successorem sibi ullo modo vel arte designaturum; sed leges sanctionesq; super eligendi Regis libertate olim vel recens factas sanctè servaturum.

Leges Principi electo ab Ordinibus præscriptæ.

Pacem

Pacem inter dissidentes in Religione secundū conventa convocationis nuperæ Varsaviensis, tuiturum.

Græci ritûs homines, ad regulam propositorum in Electione olim Vladislai Regis articulorum, perpacaturum.

Apparatuum bellicorum diligentem habiturum curam, addito in id, super usitatos ante sumptûs, novo certoq; ex Regiis bonis reditu: assignatisq; omni huic paratui & instrumento militari curando, binis præfectis generalibus.

Gymnasium militare, exercendæ munitionum operumvé bellicorum arti, tum disciplinæ tormentariæ, ad lineas & principia à Vladislao defuncto ducta, exstructurum.

Pacta & fœdera cum exteris Principibus, adeoq; pacem cum iis firmaturum.

Rempublicam, recuperatis amissis, redintegrare, & undiq; quietam reddere conaturum.

Compositioni inprimis belli, ex occasione Regni Svecici olim orti, ex utroq; ordine Senatorio & Equestri in Comitiis Coronationis designaturum arbitros, datâ iis plenâ potestate tractandi negotium ad formulam, tum à Rege & Republ. præscribendam.

Ad Magnum Moscoviæ Ducem ex iisdem Comitiis missurum legatos fœdus amicitiæ stabilituros. Monetæ

Monetæ curam proventumq; dispensationi Reipubl. plenè remissurum.

Sine scitu & consensu Reipubl. nec copias militum externorum in Regnum introducturum, neq; bello quenquam lacessiturum, neq; militem extra fines ducturum, aut gregatim educi passurum.

Opera muniendæ Camenecíæ à Rege defuncto cæpta continuaturum sumptibus suis. Tum quatuor propugnacula in finibus Regni ubi inprimis belli Ducibus visum fuerit, exstructurum.

In Prussiâ insuper Puckum, necessarium Reipubl. propugnaculum, emuniturum.

Peregrinos cujuscunq; conditionis nec ad consilia sua, neq; ad munia, Dignitates, Præfecturas ullas admissurum.

Comitatum dignitati Regiæ congruum ex Polonis, Lithvanis, & annexarum provinciarum incolis more & stipendio veteri habiturum: pariter quoq; Prætorianum satellitium: cujus Ductor indigena, non Regi tantum, sed & Reipubl. sacramentum dicturus, & juxta cum aliis Curialibus, cumq; ipso satellitio, sub jurisdictione Mareschalcorum futurus sit.

Coujugium nonnisi ex legum veterum præscripto cum consilio Senatus initurum, & si externa conjux fuerit, non plures ei famulos comi-

los comitesvé peregrinos adesse passurum, quàm visum fuerit Senatui.

Sigillo privato non usurum ad negotia Reipublicæ.

Muneribus Reipubl. Curiæq; ut sua potestas & ordo integer maneat, & ne ea vel à privatis occupentur vel vacua maneant, vel deniq; numero minuantur, curaturum.

Judicia, secundum pacta cum Henrico Rege olim inita, ex sententiâ Senatorum & Magistratuum Regi assiduorum, administraturum: deliberationibus uti & negotiis à Vladislao Rege nuper in suspenso relictis, finem impositurum.

Oeconomias, præter usitatas hactenus, mensæ Regiæ nullas addicturum, & usitatis, secundū jura & privilegia earum, fruiturū.

Munera, beneficia, ac dignitates, quas ex Comitiorum Coronationis, veterumq; etiam legum præscripto, uni simul habere nefas esse reperietur, non daturum uni.

Officia non ultra sex septimanarum spacium relicturum vacua.

In Comitiis verò inter prima negotiorum habiturum horum ipsorum officiorum collationem, & per Cancellarios eam promulgaturum. Collaturum deniq; illa secundum leges indigenis, paritate juris gaudentibus, benè meritis, ætate & judicio vigentibus.

Militiam

Militiam equestrem pedestremq; ex consilio Reipubl. meliori ordine compositurum; ne opus sit Reipubl. milite externo, tantisq; in eum impendiis, tum ne subditis adeò gravis miles, sed suo stipendio contentus sit, provisurum.

Cimelia (vulgò Clenodia) à Sigismundo Patre ex thesauro Regni in usum sumpta redditurum, & thesaurum illum minimè unquam à Rege imminutum, sed spontaneis potiùs donationibus auctum iri.

Æs alienum, quod Comitia Coronationis liquidum pronunciaverint, ex consilio Ordinum exsolvere conaturum.

Classis maritimæ, in Reipubl. necessitates struendæ, ex consilio Ordinum, initurum rationem.

Cùm in hoc Conventu Electionis, ardua negotiorum non permiserint, ea, quæ in Regno & D.M.Lithvaniæ &c. à juris bonivé ordinis viâ devient, corrigere, aut curã de modo justitiæ distributricis, de legibus Interregni, emendatione jurium, compositione statuum, & Academiæ Cracoviensis, suscipere, omnia sub Decessoribus contra leges admissa, correcturum, omissa executurum, legum callidis interpretationibus aut exemplis cum lege pugnantibus haud indulgendo.

De summâ Neopolitanâ in Comitiis Coronationis initurum consilium.

Deniq; in universum jura, libertates, privilegia ac statuta Regni, M.D. Lithvaniæ & innexarum his provinciarum civibus, Ecclesiasticis, Politicis, nec non Urbibus justè & legitimè data, ut & omnia Comitiorum Coronationis Henrici, Stephani, Sigismundi, Vladislai Regum & hujus ipsius conventûs scita, omnia deniq; in proximis Coronationis & aliis inposterum Comitiis de consensu Ordinum sciscenda sanciendaq;, in omnibus eorum punctis & clausulis tuiturum, literasq; confirmationis jurium & pactorum daturum, exemplo duorum Decessorum & inprimis laudatissimæ memoriæ Patris sui vestigiis insistendo.

Quod si id, quod Deus avertat, juribus, privilegiis, conditionibus istis vim fecerit, aut obsequi omiserit, cives utriusq; gentis à fide & obsequii nexu (secundum legem anni 1590) liberos & solutos fore.

Pactis his, quæ nos hîc compendio, & de Polonico in Latinitatem, qualem talia patiuntur, transfusa dedimus, ubi legati fidem Regiam, jurejurando insuper paulò post firmandam, jurati & ipsi, adstrinxissent, nihil jam restabat, quàm ut præstito, quod Prussis Archiepiscopus promiserat, ad Nominationem accederetur. Quæ

Quæ tandem, Prusſis ad Comitia Coronationis deſideria ſua, quanquam ægerrimè, nec ſine quiritatione prolatari passis, XX. Novembr. cum bono Deo ſucceſsit: Archiepiſcopo non ſine religioſo quodam animi ardore in ejusmodi verba prorumpente: *Nomino Regem Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ annexarumq; Provinciarum Johannem Caſimirum Sveciæ Regem hæreditarium, cœleſte Numen invocans, ut hunc, quem jam olim Regno huic deſtinavit, gratiâ ſuâ in ſuſtinendo hoc munere juvet, hancq; electionem Reipubl. iſti fauſtam fortunatamq; & inprimis Eccleſiæ Catholicæ ſalutarem esſe velit.* *Nominatio Regis.*

Poſtero die Rex nominatus templum S. Joanni Baptiſtæ ſacrum ingreditur. Ubi rei divinæ, perorante Stephano Wydzgâ facundisſimi oris concionatore Aulico, poſtea ad Varmienſem Inſulã, & deniq; ad Primatum Regni evecto, ſacra verò peragente Archiepiſcopo, ritè operatus, ad altare majus, eundem Archiepiſcopum & Mareſchalcum Equeſtrem obvios habet, pacta conventa geſtantes, &, ut in ea, ex lege promisſi ſui juret, poſcentes. Itaq; is genibus innixus, verba præeunte Oſſolinio Cancellario Magno, ita jurat: *Ego Joannes Caſimirus Ele-*

ctus Poloniæ Rex & Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ &c. spondeo & sanctè juro Deo Omnipotenti ad hæc sancta JEsu Christi Evangelia, quòd pacta conventa per Oratores meos cum amplissimis Poloniæ & Magni Ducatûs Lithvaniæ cæterarumq; Provinciarū Ordinibus in electione nostrâ transacta, & eorundem Oratorum juramento confirmata, in omnibus eorum articulis, punctis, clausulis, conditionibus, ita ut nec specialitas generalitati, nec generalitas specialitati deroget, servabo, manu-tenebo, & adimplebo, atq; ea omnia iteratò etiam in solenni nostrâ coronatione juramento confirmabo, sic me Deus adjuvet, & hæc sacra Christi Evangelia.

Factum hoc præsentibus, Matthiâ Lubienski, Archiepiscopo Gnesnensi, Legato Nato, Primate, & Primo Principe Regni, Petro Gembicki, Episcopo Cracoviensi, Andreâ Szoldrski, Episcopo Posnaniensi, Andreâ Gębicki, Episcopo Luceoriensi. Venceslao de Leszno Lesczynski, Episcopo Varmiensi, Paulo de Piaseczno Piasecki Episcopo Premysliensi, Andreâ de Leszno Leszczynski Episcopo Culmensi, eodemq; Procancellario Regni, Stanislao de Buzenin Pstrokonski, Episcopo Chelmensi, Christophoro Opalinski, Palatino Posnaniensi, Christophoro Chodkiewicz, Palatino Vilnensi,

nenſi, Janusſio Radziwil, Generali Samogitiæ Capitaneo, Campeſtri Duce M. D. L., Jeremia Michaële Wiſniowecki, Palatino terrarum Rusſiæ, Georgio Hlebowicz, Palatino Smolenſcenſi, Paulo Sapiehâ, Palatino Vitebſcenſi, Stanislao Warſzicki, Palatino Mazoviæ, Alexandro Oginski, Palatino Minſcenſi, Michaële Stanislao, Comite de Tarnow, Caſtellano Woynicenſi, Theodoro Stetkiewicz, Caſtellano Novogrodienſi, Lucâ Opalinski, Supremo Regni Marſchalco, Alexandro Ludovico Radziwil, Marſchalco Supremo M. D. Lithv. Georgio de Teczyn Osſolinski, Supremo Regni Cancellario, Alberto Stanislao Radziwil, Cancellario M. D. L., Caſimiro Leone Sapiehâ, Procancellario M. D. Lith., Adamo in Czasniki Kazanowski, Marſchalco Curiæ Regni, Joanne Antonio Tyſzkiewicz, Marſchalco Curiæ M. D. L. Michaële Gedeone Tryzna, Theſaurario Supremo M. D, L., Alezandro de Otok Zaleski Referendario Regni, Stanislao Narusſewicz, Referendario M. D. L.; Chriſtophoro Gembicki, Inciſore Regni, Alexandro Lubomirski, Præfecto Stabuli Regni, Boguslao Radziwil, Præfecto Stab. M. D. Lithv., Alexandro Koniecpolski Vexillifero Regni, Theodato Oginski, Vexillifero

fero M. D. Lithv. Nicolao Ostrorog, Pocillatore Regni, Casimiro Tyszkiewicz, Pocillatore M. D. L., Vincentio Corvino Gosiewski, Dapifero M. D. L. Georgio Lubomirski, Capitaneo Cracoviensi Gener. Boguslao Lesczynski, Generali Majoris Poloniæ, Joanne Wielopolski Biecensi, & Bochnensi Capitaneo, Joanne in Zamoscie Zamoyski Capitaneo Kalusiensi. Adamo Sieniawski, Capitaneo Leopoliensi, Hyacintho de Michalow Michalowski, Dapifero terræ Rosanensis. Emerico Młeczko, Capitaneo Mielnicensi, Hieronymo in Radzieowice Radzjejowski, Incisore dapum Serenissimæ Reginæ Poloniæ, Daniele Zytkiewicz, Instigatore Regni, Georgio Monvid Irzykowicz, Marescalco Vilkomiriensi, Ceslao Casimiro Miloszewski, Secretario S. R. M. &c.

Regi jurato Cancellarius decretum Electionis in chartâ pergamena descriptum & Procerum Equitumq; subscriptionibus firmatum tradit. Cui brevibus verbis Rex, disertissimâ autem oratione Boguslaus Lesczynius nomine Regio respondit in hunc modum:

Regis nomine Ordinibus gratias agit Comes de Lesczno.

* *Prima vox, quam Serenissimus Princeps Joannes Casimirus per faventem Numinis divini & tot suffragiorum liberrimum consensum, in hâc excelsâ Regni speculâ positus,* eloqui-

eloquitur, primum nobis esto futuræ ejus in nos clementissimæ dominationis augurium. Orditur quippe is à testificatione agnitæ inclyti hujus populi in se benevolentiæ; emicantis scilicet ex illo auribus ipsius svavissimè adhuc inerrante, in animo autem nunquam intermorituro concentu vocum, lætissimum istud, VIVAT REX CASIMIRUS; ingeminantium. Fuit olim in Romanâ Republ. tempus, cum subditis, ad aures principis, quocunq; eventu admissis, omnium sermonum finis esset, gratias agere. O quanto melius cum hâc, Principi nostro natali terrâ agitur, ubi Rex futurus à gratiis sermonem incohat, quo cives suos alloquitur. Habet profectò præ omnibus populis, quo triumphet hæc clarissima Respubl., quod arbitrio suo decernit eligitq;, cui summam Regni sui majestatem committtere velit; non in ortûs nataliumq; fortuita, non in cunas, sed illuc liberrimè flectens sententias, quò cœlestem præire sentit suffragationem. Habet quo glorietur, non se supplicem in Monarcharum clientelam; sed Monarchas venerabundos in sinum ipsius festinare. Lætatur meritò, quod alibi votis tantùm & suspiriis expetuntur boni Principes, qualescunq; autem tolerantur: hîc votis judicia accedunt, accedunt consilia, in quibus non sine singulari majestate, nobi- Electionis bona.

les consident, feruntq; sententias. Lætatur, quod non servientium populorum exemplo, gratias agit pro Principe, qualemcunq; è domo regnatrice sors nascendi dederit: sed ipsi potiùs pro Regni diademate à principibus gratiæ aguntur. Verùm minimè quoq; Rex noster illis Principibus invidet, quibus sceptra & diademata natales sui afferunt. Mavult is voluntatum subditarum priùs, quàm fortunæ aut sceptri dominantis adire possessionem, ac hæreditatem: mavult ante pectora obtinere, quàm coronam. Atq; ô quàm pulchri dominatûs, quàm dulce argumentum, quàm magnificum specimen jam habet, cum servire nescientis populi corda se illi sponte & ultrò subjiciunt! Quàm illustre Divinæ benevolentiæ pignus recipit, quando Numen, communicato quasi regimine; soli alioquin sibi proprio, prius mentium imperium Principi, quàm throni mortalis fastigium permittit? Cæterum non nescit quoq; Serenissimus Rex molis, quam suscipit, gravitatem. Non ignorat, quàm arduum semper, quamq; fortunæ subjectum cuncta regendi onus sit, inprimis in eo Regno, ubi jam summa imis miscet fortuna; & saucia à servili barbaráq; manu, publica res gravissimè laborat. Intrepidè nihilominus ad clavum hunc admovet dextrã, fretus Divinæ Maiestatis ope, ut quæ

Difficultates muneris Regii.

ut quæ soli jam, manifestis singularis gratiæ indiciis, arbitrium dederit in bella nostra, quæq; manum fumi pulverisq; militaris non inexpertam ita dirigat, ut ad famam ejus, immensæ perduellium catervæ, in cubilium suorum latibula paulò post recessuræ videantur. Erit brevi, ut templa sua sacerdotibus, & templis splendor, & aræ fortunæq; afflictis civibus reddantur. Habebit ultorem nobilis cæsorum sangvis, & qui nostro adeò inhiârunt cruori, in suo brevi natabunt. Redibit deniq; optatissima terris pax, & cum hac deliciæ generis humani. Porrò autem non diffitetur Rex Serenissimus, magnum se de manu vestrâ recipere thesaurum: dum ingens illud libertatis, boni delicatissimi, depositum ipsi concreditis. Natꝰ enim cùm sit in gremio hujus Reipubl., cum domûs suæ decora longâ serie posita hîc intueatur, ignorare non potest, quid sit libertas Polona. Splendidissimæ domûs Jagellonicæ surculus est, sine dubio etiam imitator erit. Prælucent illi facem tot grandes avi, prælucet magnus parens Sigismundus, prælucet inclytus frater & verissimus bellicosorum, simulq; felicium Regum archetypus Vladislaus. Omnes teneriorem libertati subditorum, quàm propriæ dominationi curam soliti impendere. Signato tot præclaris majorum vestigiis tramiti, haud

Bona omina & vota.

Spes de Rege electo.

 dubiè

dubiè instituturus Serenissimus Princeps, fidei suæ pignus jam ad sanctum altare, religiose, nec unquam violando jurejurando dedit. Certare ille cum patriâ nostrâ & suâ conabitur benefactis. Et quemadmodum ab illâ, quod svavissimum habet, accepit; ita vicissim tanquam gratus memorq; beneficiorum primogenitus, matri suæ omnia optima maxima sua devovet, mite in subditos imperium, impensissimam pro bono publico curam, promptissimos in omne genus laborum humeros, vitam Reipubl. vectigalem & non minùs oneri, quàm honori sacratum caput offerens. Gladio, *quem lateri adaptat, domabit Regni hujus hostes;* sceptro *negotia Reipubl. componet ordinabitq;* aureo *honoris prosperitatisq;* pomo, *togâ sagóve id merentes beabit: nihil deniq; à vobis accipiet, ut sibi habeat, sed ut quicquid datur illi, id à manu gestatrice splendidius pretiosiusq; redditum, cum pluribus quàm pulcherrimè communicet.*

Exequiis Vladislai Regis tempus præfinitur. Sequentibus diebus alia in futurum præsentemq; Reipubl. usum constituta. Præcipuè defuncti Regis exequiis decima quarta Januarii sequentis; inaugurationi autem electi Regis decima septima, Comitiorum auspiciis XIX. ejusdem mensis præfinita est. Vexilliferis quoq; terrarum & Palatinatuum om-

um omnium imperatum, ut dicto exequiarum Regiarum die Cracoviæ adsint, signum quisq; Palatinatûs sui, funeri, ex more, prælaturi. Rex insuper rogatus, ut etiam antequam diadema susciperet, curam rerum turbatarum, inito cum Primate, & Senatoribus, Ducibusq; belli consilio, gerat. His actis XXIII. Novembr. solutus est conventus, sine minus composito, quod pleriq; nobilium ab hoste adeò propinquo, suis domi rebus metuentes, abitum præcipitarent; & Prussi insuper sui minus habitam rationem quererentur; aliqui vicissim auxilium laborantibus cæteris subtrahere interminati sunt.

Conventus raptim dissolvitur.

Archiepiscopus cum aliis Senatoribus nonnullis Varsaviæ mansit, perficiendis quæ in publicis adhuc agenda restarent. In primis Pontifici Imperatoriq; Romanis per literas gratiæ actæ pro impensâ rebus Poloniæ sollicitudine, simulq; quod gratissimum auditu fore credebatur, nunciatum est, Joannem Casimirum maximâ tandem consensione, & ipsorum etiam adversariorum pace, nuncupatum Regem. Mox & Svecorum Reginæ datum responsum; *jamdudum, sub Rege etiam defuncto, Rempubl. honestæ pacis, quàm belli cum Svecis cupidiorem, Ducis Curlandiæ pacificos conatus pro-*

Responsa Principibus exteris data. Uti Reginæ Sveciæ.

tus probâsse. Similem animi propensionem cum literæ quoq; Reginæ & missus ab ipsâ Laurentius Cantersteinius Secretarius Statûs testentur, tanto ampliorem spem esse, communibus utriusq; gentis votis subscripturum Numen. Quod ad sequestros pacis attineret, eos in pactis nominatos. Ex quibus quia Britanniarum Rex domesticis discordiis attineatur, ejus vicem ut Respubl. Veneta suscipiat, sibi quoq; volentibus fore. Nec de loco difficiles esse velle. At Francofurtum ad Oderam situm, multis ex causis opportunissimum suis videri. Eò maturè venturos Delegatos, ubi de tempore à conciliatoribus Respubl. fuerit monita. Cæterum sperare se, rem gratam fore Reginæ, in Electione istâ, pondus habuisse commendationem ipsius, & pensi fuisse id, quod ad stabiliendum æternæ pacis fœdus facere, aut necessarium esse, visum sit. Testem actorum fore Cantersteinium; & eundem de iis quoq;, quæ jam non scribantur, relaturum. Cæteris Principibus, quorum legati aderant, Electionis eventus pariter cum multâ studii testificatione nunciatus est: si quæ verò postulata intulerant, ea pleraq; in proxima Coronationis Comitia rejecta fuêre.

Rex verò Electus non ante sceptro, quàm patriæ gravissimè laboranti manum apposuit.

ſuit. Scripſerat is jam antè per Georgium Jarmolevicium ad Chmelnicium literas, hortatus hominem, *ne Electioni ab exercitu Zaporoviano obſtrepi aut impedimentum poni pateretur.* Sed nuncius iſte tardius, ob morbi interventum, pervenerat ad Chmelnicium, uti ex reſponſo ejus, cujus autographum mecum habeo, colligere licet. Nunc verò ſimul ut in ſe ſuffragiorum conſenſum ire Princeps intellexerat, illicò Smarzevium Secretarium ſuum ad eundem Chmelnicium ablegat, Regem ſe jam Poloniæ nuncians, monensq; ſimul, ut miſsâ hoſtilitate reducat copias ſuas. *Reperit quandoq; etiam inermis apud armatos Majeſtas venerationem, addente ipſo cœleſti Numine principibus neſcio quid non auguſtum tantùm, ſed penè divinum, quo animos hominum, etiam barbarorum, percellant.* Chmelnicium certè brevisſimæ Regis literæ movêre, ut cum pactis Zamoſcianis ab urbe diſcedere promiſisſet, ad mandatum iſtud Regium ſine morâ exercitum omnem retrò in extremam Rusſiam duxerit. Sed is etiam, antequam Smarzevius adesſet, velut propinquum jam ſceptro Regem odoratus, remittere cœperat animum, misſoq; Varſaviam eodem illo, qui ad Leopolin & Samoſcium conciliator pactorum exſtiterat.

Rex electus de Côſacis pacandis cogitat.

Chmelnicius Regem electum veneratur.

exſtiterat, Mokrſcio Canonico, quicquid hactenus à ſe, & Coſacis perpetratum eſſet, eodem, quo ſæpè antehac, modo excuſare ſtuduerat.

Chmelnicius excusat facta sua.

Nempe magnâ ſe neceſſitate in iſta facinora impulſos. Primum enim à non paucis Proceribus magnis malis mactatos, poſteà etiam cum, ſuperatis Polonorum exercitibus meruiſſent non contemni, non paucos ſuorum exquiſitis torminibus exagitatos, & deniq; in crucem actos. Mox ſe iterùm compoſitionum oſtentamentis inſopitos eſſe, ſed hoſtilia alibi omnia ſuis nihilominus illata. Rerum ex eo tempore ſucceſſus in aperto eſſe. Inde tamen minimè ſeſe inflatos, ſpirare illicita: quin adhuc potius patratorum ſibi veniam, ſed ſimul Magnatum quoq; illorum juſtam reprehenſionem petere. Spretis his deſideriis ſuis, manifeſtum futurum, ſe quoq; ipſos, & ſervitia ſua faſtidiri.

Rex Chmelnicio placidè reſpondet.

Quibus ritè expenſis Rex tandem ita reſpondit: *Gratam ſibi eorum ſub antiqui obſequii leges redeundi promptitudinem, & pro fido reſipiſcentis animi indicio eſſe, quod, relicto Zamoſcio, pedem tulerint retrò. Clavam ferream (Bulavam Poloni vocant) & vexillum, ſummi à Rege in exercitum Zaporohianum imperii, inſignia, brevi ſe miſſurum Chmelnicio. Facinora, quia eluere ea*

tanto

tanto insignioribus inposterum servitiis polliceantur, condonare se, pœnitentiâ ipsorum contentum. Quod exercitum Zaporohianum in potestate Regis tantum & Reipubl. esse desiderarent, sibi quoq; probari. Neq; factum velle aliter. Nec quæ de unione seu coalitu inter Græcam & Latinam Ecclesiam facto querantur, amplius moratura pacem; & destinatos jam à se arbitros seu Commissarios, eam litem definituros. Quicquid jurium privilegiorumq́; olim habuissent, quicquid insuper etiam ab illis Delegatis per æquitatem indultum fuerit, in proximis Coronationis Comitiis firmaturum se, dum ad eadem Comitia ipsi delegatos suos mitttant, debitâ modestiâ Majestati supplicaturos. Interim exercitus Polonicos procul ab ipsis habitum iri. Nec Commissarios amplius quingentis hominibus in comitatu ducturos. Pari numero & ipsum Chmelnicium ad capessenda militaris in Cosacos imperii insignia, & jusjurandum præstandũ, totiusq́; transactionis istius negotium, adesse debere. Tartaros in Tauricam, agrestem multitudinem ad sua quàm primùm mittendam: & populatores ditionum globos, missis edictis publicis, revocandos. Deniq; exercitum in Zaporohianas insulas deducendum.

His

Chmelnicius ex Poloniâ redit in Ukrainam.

His literis acceptis, Chmelnicius tantò promptiùs reditum ex Poloniæ visceribus maturabat; stimulum insuper adhibente hyeme. Nam in terrâ à suis passim pervastatâ, graminum quoq; per alienum anni tempus vacuâ, immenso illi hominum equorumq; numero defecturum pabulum videbat; minutiore verò exercitu, Poloniam, adeò jam non hostili tantùm violentiâ, sed suâ quoq; ignominiâ irritatam, deniq; Capite jam novo animosam, porrò lacessere non audebat.

Commissarii destinati ad Cosacos.

Rex autem Electus cum Senatoribus deliberat, quos ad arduum istud conciliationis negotium adhibeat. Et tandem in sex viros, rerum sanè agendarum gnarissimos, consensum. Caput omnium iterùm esse jussus est Adamus Kisielus Palatinus tum Braclaviensis, cui collegæ dati; Maximilianus Brzozovius Castellanus Kioviensis, Albertus Miascovius finibus terræ Leopoliensis regendis præfectus, vulgò Succamerarius, Nicolaus Kisielus Signifer Novogrodiensis Palatini frater, Jacobus Zielenius Pocillator Braclaviensis, Zacharias Dux Czetvertinius, additus deniq; Smarzevius Regi à Secretis. Hi lentè admodùm sumptum ex Regni ærario adepti, vix decimâ sextâ Januarii Anni 1649. Huisciæ, Kiseli

sieli Palatini oppido, in Voliniâ extremâ ad Horinum sito, convenêre, Pereaslaviam autem, quò ad colloquium ab hoste invitabantur, ipsi alioquin Kioviam malentes, decimâ nonâ Februarii, hyeme gravissimâ, delati sunt. Hîc quid effecerint, post memorabo, ubi quæ tempore antecessêre, exposuero.

HISTORIÆ POLONÆ PLENIORIS

LIBER V.

Annus M. DC. XLIX.

REx, ubi pacis conciliatorum expeditioni satis datum temporis esset, Cracoviam ad exsolvenda fratri defuncto justa, & diadema exin suscipiendum, habendaq; mox Comitia, circa novi anni auspicia, profectus est. Quem multi Procerum comitati, alii insecuti, multi etiam prævenêre. Erat Januarii decima quarta, cùm Rex equo insidens, & umbraculo, quod quatuor urbis Consules ferebant, adopertus, metropolin Regni sui ingrederetur, præcedentibus ipsum Magnatum Equitumq; longâ & multum nitente pompâ, peditum item cohortibus supra triginta, turmis deniq; viginti quinq;,

Rex electus Cracoviam ingreditur.

quarum utrarumq; major pars ex civibus, reliquum ex Regiis Magnatumq; militibus constabat. Sequens dies exequiis defuncti Regis datus est, recepto hîc more, ut non nisi sepulto decessore. Rex Electus diadema capessat; fortasse ut sic inspectâ mortis pompâ, mortalitatis suæ admoneatur, & eò attentior accedat imperium, cujus rationes post mortem quoq; redditurus sit. Cadaver Regium ex coemiterio templi Mariani in arcem, octo equis, holoserico rubeo tectis, deducebatur: præeunte tum militum, sed arma inversa trahentium, tum juxta Sacerdotum Monachorumq; longissimâ serie. Quorum agmen claudebant tres Episcopi & Cracoviensis Suffraganeus, omnes Pontificali habitu induti. Hos sequebantur Vexilliferi provinciarũ, numero vigintiseptem, sui quisq; Palatinatûs signũ ferentes. Inter quos eminebat Regni Aquilifer Alex Coniecpolscius. Illis succedebant Canonici Cracovienses & Musici magno numero. Hinc Senatores conspiciebantur: ex quibus Castellanus Lublinensis vellus aureum, Palatinus Smolenscensis Sceptrum Svecicum, Lublinensis Polonicum, pomum aureum Polonicum Castellanus Sendomiriensis, Svecicum Voiniçensis, Diadema Polocicum

Cadaver Vladislai Regis in Urbem deducitur.

Pompa funebris.

lonicum Palatinus Russiæ, Svecicum Mazoviensis, Magnus Cancellarius Sigillum, Ensifer Regni gladium, Mareschalci baculos gestabant. Senatorum vestigia excipiebat currus cadavèr Regium vehens. Quem proximè sequebantur Dux Boguslaus Radzivillius, & Joannes Zamoscius; tandemq; Rex, Nuncio Apostolico & Palatino Brestensi comitatus. Inde magistratus Cracoviensis, & mox turba promiscua. In Arcis templo excipiebant Regem Archiepiscopus Gnesnensis, Cracoviensi & Cujaviensi Episcopis stipatus. Ubi sacro ritè peracto, Manibus porrò defuncti Regis ab Episcopo Posnaniensi Andreâ Szoldrscio honorâ oratione parentabatur. Posthæc Mareschalci ante altare baculos suos, Cancellarii sigilla gypsea, Jacobus Michalovius Tribunus Lublinensis clypeum, Sborscius hastam confringebant. Signum, quod cuspidi lanceæ affixum hærebat, à Rege ipso attollebatur. His actis, cadaver è pegmate, honori ejus structo, ad tumulum paternum, qui ponè templum est, deferebatur: Rege ipso deniq;, cum demittendum esset cadaver, funi manum admovente: testandæ scilicet erga fratrem mortuum ultimæ pietati. *Postero die idem alio solenni religiosoq; offi-

Tumulatur Vladislai Regis cadaver.

 cio

* *Rex in Scalkam tendit magnâ religiositate.*

cio defunctus eſt. Urbis Cracoviæ eâ parte, quæ Caſimiria appellatur, ſacellum eſt pervetus (Skalka vulgò vocatur locus) ſed multo auro, picturisq; exquiſitisſimis ſplendidum. Inprimis autem celebratisſimi per Poloniã Martyris S. Stanislai memoriæ ſacrum habetur, ſanguine ejus olim, cum altari illi adſtans à Boleslao Audace occideretur, conſperſum. Unde Rex ille diris devotus à Pontifice Romano Gregorio VII.; & porrò ſuccesſoribus ejus deinceps impoſitum eſt, antequam diadema Regium capesſant, ut adſperſam Regno labem pio ſupplicio hîc expient. Quod à Regibus hactenus omnibus factitatum, Hic minimè omiſit. Pedes quippe huc venit, & mox prono in terram corpore coram altari provolutus, & ſacris porrò veſpertinis, magno Procerum comitatu, ſolenniter operatus eſt. His ceremoniis velut luſtrabatur ad Diadema, quod die ſequenti XVII. Januar., tali ritu ſuſcepit. E conclavi ſuo in Cathedrale arcis templum, S. Stanislao ſacrum, tum verò, præter ſolitum, magnificis tapetibus undiq; exornatum, veſte & ipſe pretiosâ, ac ad hunc actum dedicatâ conſpicuus, à Senatoribus deducebatur. Ubi cum in ſellâ, contra altare poſitâ, conſediſset, paulò poſt à duobus Epiſcopis ad altare

Coronationis ſolennia.

altare ipsum deductus, aliis omnibus in genua flexis, projectus & ipse in faciem, manibus protensis humi eoùsq; decubuit, dum litaniæ hymnus decantaretur. Posteà erectus, sacramentum solenne præstitit, præeunte in hæc verba Archiepiscopo:

Ego JOANNES CASIMIRUS, Electus Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Mazoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Czerniechoviæq; &c. Nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumq; hæreditarius Rex, per omnes Regni ordines, utriusq; gentis, tàm Poloniæ quàm Lithvaniæ, cæterarumq; provinciarum Regno Poloniæ Magnoq; Ducatui Lithvaniæ annexarum & incorporatarum, communi consensu liberè electus, spondeo ac sanctè juro Deo omnipotenti, ad hæc sancta JEsu Christi Evangelia. Quod omnia jura, libertates, immunitates, privilegia publica & privata, juri communi utriusq; gentis & libertatibus nō contraria, leges Ecclesiasticas & seculares, Ecclesiis Catholicis Romanis, Principibus, Baronibus, Nobilibus, civibus, incolis, & quibuslibet personis cujuscunq; status & conditionis existentibus, per Divos prædecessores meos Reges, & quoscunq; Principes Regni Poloniæ, & Magni Ducatûs Lithvaniæ, præsertim verò Casimirum Antiquum, Ludovicum, Juramẽtum Regium.

cum (Lois nuncupatũ,) Vladislaum primum Jagiellonem dictum, fratremq; ejus Vitoldum, Jagiellonis filium Casimirum Tertium Jagielloniden, Joannem Albertum, Alexandrum, Sigismundum Primum, Sigismundum Secundum (Augustum,) Henricum, Stephanum, Sigismundum Tertium piæ memoriæ parentẽ nostrum, Vladislaũ deniq; Quartum fratrem nostrum, Reges Poloniæ & Magnos Duces Lithvaniæ, justè & legitimè datas, concessas, emanatas & donatas, ab omnibusq; Ordinibus tempore Interregni statutas atq; sancitas, mihi oblatas, tum pacta conventa, per Oratores meos cum Ordinibus Regni & Magni Ducatûs Lithvaniæ inita, manutenebo, observabo, custodiam, & adimplebo, in omnibus conditionibus, articulis & punctis in eisdem expressis: pacem quoq; & tranquillitatem inter dissidentes de Religione Christianâ tuebor, manutenebo, nec ullo modo, vel jurisdictione nostrâ, vel officiorum nostrorum, & statuum quorumvis autoritate, quenquam affici opprimiq; causâ Religionis permittam, nec ipse afficiam nec opprimam, ac ea quæ in Electione nostrâ Varsaviensi constituta sunt, & quæ in Conventu Coronationis nostræ constituentur, manutenebo, iisq; satisfaciam; omnia illicitè à Regno Magnoq; Ducatu Lithvaniæ & dominiis eorundem quocunq; modo alienata;

alienata, vel bello vel quovis alio modo distracta, ad proprietatem ejusdem Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ aggregabo, terminosq; Regni & Magni Ducatûs Lithvaniæ non minuam, sed defendam & dilatabo, justitiam omnibus incolis Regni juxta jura publica, in omnibus dominiis constituam, absq; omnibus dilationibus & prorogationibus administrabo, nullo quorumvis respectu habito, & si, quod absit, in aliquibus juramentum meum violavero, nullam mihi incolæ Regni, omniumq; dominiorum uniuscujusq; gentis obedientiam præstare debebunt, imò ipso facto eos ab omni fide, obedientiâ Regi debitâ liberos facio, absolutionemq; nullam ab hoc meo juramento à quoquam petam, neq; ultrò oblatam suscipiam, sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Christi Evangelia.

Dicto sacramento, idem Archiepiscopus brachium Regis dextrum, humerum item sinistrum, & frontem deniq; sacro oleo inungit. Inde in sacellum Zadzicianum à duobus Episcopis deducto, toga alia, Episcopalem referens, circumjicitur; Senatoribus verò gladius, vaginæ aureæ inclusus, sceptrum, pomum aureum, quæ omnia in eodem sacello deposita tum erant, ferenda dabantur. Illa fercula gestantes, Regem iidem *Inungitur Rex.*

iidem denuò ad altare ducebant, ubi post habita precũ solennia, Archiepiscopus cum aliis Episcopis, deniq; diadema capiti ejus imponit, mox & gladium porrigit, quem ille quater, secundùm mundi latera se circumagens, ita vibrabat, ut crucem toties figuraret. Gladio dein Ensifero Regni tradito, dextrâ manu sceptrũ, sinistrâ pomũ aureum ab eodem Archiepiscopo suscipiebat; sicq; ornatus, ab illo aliisq; Episcopis & Regni Proceribus ad solium Regale (sella erat holoserico, multoq; interlucente auro insignis, & in altiore suggestu, quasi theatro, posita) deducitur. In quo cum consedisset, illicò exemplum Antistitum secutus, genibus flexis, solennem hymnum, omni illo præsentium cætu concinente, decantat. Inde reversus ad altare, S. Eucharistiæ particeps fit; & tandem precibus absolutis, acceptâq; solenni benedictione, Diademate, sceptro, & pomo aureo iterùm (nam inter S. cœnæ solennia deposuerat ista) ornatus, claudentibꝰ latera ejus Nuncio Apostolico & Archiepiscopo, aliisq; Procerum præeuntibus, in palatium Regium reducitur. Nec multo post in conclavi Senatorio publicè pransus est, ministrantibus mensæ, præter cæteros, Boguslao Radzivillio Principe & Joanne Zamoscio; assidentibus non nisi

Prandium solenne post Coronationem.

nisi duobus illis Præsulibus, à quibus Regem è templo ductum diximus. Reliqui Senatores Proceresq; eodem in cœnaculo, mensis separatis excipiebantur. Ita ille dies convivio extractus est. Sequenti luce Rex ab Arce in Curiam urbis, eques procedebat, prævià iterum splendidissimâ Senatorum, Nobilium, Militumq; insigniorum pompâ, Thesaurario etiam Curiæ Maximiliano Ossolinscio nummos alicubi missiles spargente. Hi unâ parte coronam *Manipulo*, familiæ Regiæ insigni, impendentem repræsentabant. Addita manus manipulum tenens: verbaq; circumposita: *Dominus assumpsit me*. Alterâ parte apparebat manus armata, Seram artificiosam, & in hâc nomen Regis complexa. Adscriptum circa: *Desuper compactum est*. In Curiâ à primo Consule Urbis, qui tum Ochocius Medicus & Academiæ professor erat, & Magistratu universo exceptus Rex; & mox illis recedentibus, trabeâ aliisq; Regiis ornamentis indutus, ex Curiâ tandem in theatrum, quæsitissimo apparatu in foro exstructum, deductus est. Istîc sedenti in solio, idem Urbis Magistratus adstitit, & digitis protensis, genibusq; flexis, sacramentum dixit. Mox & Consul Ochocius claves deauratas ad Regios pedes supplex deponebat; sex simul pocula ar-

Missilia sparsa.

Jurat Cracoviensis Magistratus.

gentea, sed auro obducta offerens. Posteà Ensifer Regni gladium denudatum Regi porrigebat. Qui eo apprehenso senos homines, tergum singulorum leviter percutiendo, in numerum Equitum auratorum, quos vocant, cooptabat. His actis in Curiam Rex, & mox ibi depositis ornamentis, in Arcem revertitur. Theatrum autem, &, quo id obductum erat, pannus, more solito in prædam plebis cessit. Simul verò dispositæ in foro machinæ detonuêre; passimq; ignes, solito artificio, in sublime missi, fragore innoxio in aëre decrepabant. His lætitiæ contestationibus strepebat totâ nocte propè civitas: sed in arce ignis interim alius haud perinde sanè festus, erupit. Qui nescio quâ Aulæ puerorum incuriâ, prope conclave Regium pabulo inconvenienti illapsus, & mox proximis correptis, eò tandem procrevit, ut in contiguâ cœnaculo turri, quicquid uri aptum esset, depasceret, ipso etiam tecto, quod cupreum erat, defluente. Sed major damno terror fuit, aliis insuper curiosioribus magnâ solicitudine in omen rapientibus casum. Pleriq; periculum Regi Regnové sed brevi flammâ deflagraturum augurabantur. Aliis spes bonas sub Regis primordia pollui indignantes, mera gaudia & ex igne hoc nescio quid sereni,

Equites aurati fiunt à Rege.

Incendium in arce Regiâ Cracoviæ.

ſereni, etiam ſcriptis publicis portendebant. Dies ſequens XIX. Januarii Comitiorum auſpicio deſtinatus fuerat. Et paratus erat cum Senatu Rex poſt peracta in templo ſacra, auditamq; concionem, agenda aggredi. Sed quia id abſentibus nunciis, quos vocant, terreſtribus fieri ritè non poterat, his in ſuo conclavi multas inter ſe lites moventibus, aliquot dies fruſtrà extracti ſunt. * Ex Palatinatu Ruſſiæ duplices aderãt nuncii: quorum alteros in Electionis Conventu, nobiles, qui tum ex eâ terrâ adfuêre, creaverunt Varſaviæ, metuentes, ne in loco conſveto, quippe ab hoſtibus vel inſeſſo vel maleſecuro, id fieri non poſſet. Alteros reliqui nominaverant Przemysliæ, quanquam inter crepera belli & imminente jam hoſte, congregati. Qui jam illos Varſavienſes vitio creatos, nec in Comitiis pro Nunciis habendos eſſe, pugnabant. Hi viciſſim, quod Varſaviæ electi eſſent, ſibi fraudi eſſe debere negabant, cum Electionis Conventu, rata habita eſſet ejusmodi nuncupatio, eademq; exemplis, inprimis autem iſtis Reipubl. temporibus, ſatis excuſari poſſet. Diu agitata res eſt; tandem tamen datâ ſecundum plures lite, pervicêre qui Premysliæ creati erant, quorum Anteſignanus erat Franciscus Dubravius Premislienſis

Comitiorum initium XIX. Januarii, Anno M. IↃC. XLIX.

** De Directore nunciorum diſſidia.*

mislienſis Succamerarius. Cùm poſteà de Directore cœtûs Equeſtris ageretur, acerrima denuò orta eſt inter Nuncios concertatio: intercedente inprimis Succamerario Rozanenſi Petricovio, qui rationem prius Pilaucianæ diſſipationis exigendam ab iis, qui iſtic rem adminiſtrâsſent; nequicquam aliis, ne intempeſtivo rigore tempora publica moraretur, ſvadentibus. *Fore*, ajebant, *locum & tempus cum curâ in iſtos inquirendi: ſed agendum ex more & lege, diemq; adeò illis prius dicendam. Et paratum jam pridem illos in jus vocare Regni Inſtigatorem, niſi plerosq; militiæ muneribus adhuc implicitos revocare inde, cum publico damno, vereretur.* Alii acrius in has negotiorum moras invehebantur, minati etiam factâ proteſtatione domum redire. Et Rex ipſe mittebat ſubinde aliquos, qui ne tempora neceſſariis conſultationibus debita, litigando prodigantur, admonerent. Ita denuò perrogatæ ſententiæ Franciſcum Dubravium, Succamerarium Premislienſem, magnâ conſenſione Directorem conſtituêre. Qui & tandem XXVI. Januarii (totos enim octo dies diſceptationes iſtæ combusſerant) Regi honorâ oratione de ſceptro gratulatus eſt. Cui Andreas Leſzcynius Epiſcopus Culmenſis & juxta Procancellarius

Pilauciana diſſipatio culpatur acriter.

Director fit Franc. Dubravius Succam. Premisl.

rius

rius, postea Cancellarius, & deniq; Archiepiscopus Gnesnensis, respondit: *Regem liberrimis Polonæ gentis suffragiis, majorum suorum solio impositum, in laudatissimis horum vestigiis notare, quæ Reipubl. utilia noxiavé fuerint hactenus. Et jam thronum justitiæ conscendenti, nihil aliud magis in votis esse, quàm ut se ministro, virtuti benè sit, malos pœna suæ sequantur. Novo hoc Diadematis vinculo non caput tantùm externum, sed & animum arctissimè Reipublicæ illigatum, perpetuò commodis ejus salutiq; invigilaturum; rationesq; cum Senatu initurum, ut quæ hactenus ipsam exedant turbentvé, amoveantur. Et jam nunc solicitudinis pro Regni securitate specimen, in cæptâ pacis tractatione, magno publicæ spei autoramento, effulgere. Cupidius equidem Regem, integræ florentiq; Reipubl. manum admoturum fuisse. Sed & qualem superi tradant, suscipere; vulneribusq; ejus opem, quam possit, maximam præsentissimamq; polliceri. Vota gratulantium accepta Regi esse, &, ut Cœlum ea sanciat, optare. Ad osculationem deniq; manûs, quam superi bonis beneficam, malis severam, hostibus terribilem faxint, patere jam accessum.* Ubi finierat Episcopus, supplex Dubravius ad Regem accessit, manumq; ejus osculatus est.

Directori respondet Andreas Comes de Lesʒno.

Quod

Cancellarius proponit deliberanda. Quod & reliqui Nuncii; & posteà delegati urbis Cracoviensis ex jure veteri, nec non Vilnenses fecêre. Exin Magnus Regni Cancellarius prolixè præfatur *de Regis affectu atq; erga publicum studio, tanto incitatiore scilicet, quanto hanc Regni quasi lampadem à morte invictissimi fratris, langvidiùs lucentem susciperet.* Et deniq; argumentum futurarum deliberationum proponit.

Ac primum quia Vezyrus Turcicus, scriptis ad Archiepiscopum literis, Tartarorum cum Cosacis conspirationem Imperatori suo non displicere, significet: Regi consultum videri, Legatum ad Turcarum Imperatorem mittere, qui pactorum conventorum ipsum admoneat.

Ad minas Orientis Tartarorumq; violentiam retundendam, Moschorum amicitiam armorumq; societatem utilem fore. Cujus cum jacta jam sint superiori legatione fundamenta, mittendos, qui rem benè cæptam absolvant firmentq;.

Cum Regno Sveciæ æternæ pacis tractationem utilem necessariamq; videri: quam ad rem, cum Rex viam quodammodò munierit, & certi Principes sequestram operam polliceantur; hanc quoq; curam non inter postremas esse debere.

Has

Has ad Legationes cum sumptus non exigui requirantur, ii unde haberi possint, ineundam rationem.

Finium custodiæ intendendam curam, inprimis Russiæ laborantis & Cracoviensis provinciæ protectioni.

Ante omnia de belli apparatu cogitandum. Delegatis pacem cum Chmelnicio tractaturis sumptus procurandos, & qui jam ab Ærarii curatoribus dati sint ex publicis proventibus, à Republ. ratos habendos. Meditandum insuper, quale responsum Cosacorum nunciis, qui expectentur, dari expediat: & deniq; quomodo in posterum exercitus Cosacorum disponendus.

Cum Palatino Cracoviensi, de salis-fodinis ejus agendum, tentandumq́; an illæ per commutationis contractum Reipubl. addici queant.

Reginæ & Principis Caroli, ut habeatur ratio, Regem percupere.

Deniq; monere, ut probè subductâ temporum ratione, animisq́; in solida rerum seriò conversis, debitas utilibus negotiis horas, manibus nolint conterere. Hæc Cancellarius. Dubravius verò nomine Collegii Equestris à Rege *distributionem vacantium Reipubl. bonorum, atq; iis ut exules inprimis subleventur, petit; tum Legi de bonis* *Dubravius Nobilitatis desideria proponit.*

muneri-

muneribusq́ʒ publicis, quæ ab uno teneri vetitum ſit, ſatisfieri poſcit. Porrò rationem Senatusconſultorum & deniqʒ accuratam, rerum ad Pilavecias geſtarum, à Ducibus, aliisquè benè peritis relationem poſtulat, quò judicare liceat, quâ culpâ exercitus ille disſipatus, & tanta Reipubl. labes inuſta ſit. Cancellarius reſpondit: *Regem in hâc Rèpubl. natum enutritumq́ʒ jura illius nota habere, iisq́ʒ etiam in diſtribuendis bonis honoribusq́ʒ publicis omninò ſatisfacturum; ſed poſt audita Senatorum ſuffragia. Senatusconſultorum rationem, in publicis tabularii actis, patere cuivis poſcenti. Pilavicenſe ulcus quando refricare lubeat, optandam esſe Principis Dominici Palatini Sendomirienſis præſentiam: qui nunc fratris ſui morte domi attineatur, promitti tamen ejus adventum; hunc proinde operiendum.* Poſtero die cum loqui Archiepiſcopus ordiretur, unus ex nunciis Equeſtribus Twardovius, vir diſertus, interpellavit ſermonem, *& vacantium Reipubl. bonorum diſtributionem,* conſultationibus omnibus præmittendam urſit, legem anni 1607. allegans. Eam etſi non ſatis liquidam alii dicerent; Rex tamen, ne mora cæteris negotiis fieret, per Cancellarios publicè, quid cuiq; bonorum vacantium dedisſet, recitari jusſit. Sed

Vacantia munera publica.

Prute-

Prutenicorum nulla facta est mentio, quæ multum dein turbarum his ipsis Comitiis concivêre. Nunciorum porrò Equestrium Director, Senatoribus solitas deliberationes aggressuris Trubecense negotium & Cameneciæ ultimi adversus Orientem propugnaculi curam, deniq; disciplinæ militaris, in præsidiarios, extremæ Russiæ graves, asseverationem commendabat. Hinc tandem orsus Archi-Episcopus, quicquid sub Interregno Ipse, cum Senatu Consiliario, publicè egisset, latè enumerat. *Nempe mortem à se Regiam, & mox duplicem Exercitûs cladem, simul ut sibi innotuisset, ritè publicatā, civesq; admonitos, ut providerent, ne quid amplius detrimenti Respubl. pateretur. Inde, indictis conventibus, ad ferendam publico opem Palatinatus singulos concurrisse. Se verò Varsaviâ, prætorianam defuncti Regis legionem, trium mensium stipendio instructam, ductore Ossinscio, laboranti Russiæ properè submisisse. Eodem fine & Christophoro Przyjemscio & Sigismundo Dönhofio Præfecto Sokalensi, faciendorum delectuum datum negotium. Inde Varsaviam convocatos Regni Ordines, de salute publicâ consultâsse. Ubi nihil salubrius Reipubl. repertum, quàm amicâ compositione hostiles impetûs inhibere: & commissam*

Archiepiscopus acta Interregni recenset.

Convocatio.

eam curam Palatino Braclaviensi. Nec aliâ spe voluntatumq́ inclinatione dimissos tum è conventu nuncios Cosacorum: cum eorum aliqui, etiam ante Conventum, ad suos relegati, amicæ ejusmodi ad literas ipsorum responsionis promissum deportâssent. Interim habitis per singulas provincias delectibus, conflatum quidem exercitum, sed ei Ducem defuisse. Tribus itaq́, qui promptam Reipubl. operam obtulissent, probassentq́ ante non semel, summam rei commissam. Nam Visnovecium Principem, serò ex ultimis Russiæ recessibus emersisse; haud sanè alioquin postponendum ulli reliquorum. Quippe, antequam alii militiæ regimen suscepissent, aut conduxissent militem, data ab hoc egregia virtutis & pro Republ. vigilantiæ specimina. Ab eo enim & Palatino Kioviæ Janussio Tyskievicio, qui comes ipsi adfuerit, diu feliciter coercita perduellium agmina. Inde animos crevisse cæteris civium; Et cum postea non modicæ ex omnibus Poloniæ ditionibus confluxissent copiæ, iis consilium incessisse hostem aggrediendi. Deventum ad Pilavecias; ibi castra, sed, ut ferunt rerum gnari, loco perimportuno, posita. Falsis dein rumoribus territum exercitum: & scilicet sexaginta millia Tartarorum immensæ jam ante multitudini Cosacorum accessisse, sparsum cre-

Cosacici, Legati.

Duces militiæ.

Pilauciana macula.

sum creditumq; esse. Neq; Ducibus inter se, nec militi cum Ducibus satis convenisse. Planè autem omnibus Divinam incubuisse iram, ob injurias, quas in itinere passim patriæ suæ incolis intulissent. Et hinc præcipuè factum, ut paulò post egregius ille exercitus, hoste vix viso, diffluxerit. Cæterum ab initio sibi visum esse optimum, afflictæ Reipubl. remedium, si sub unum caput quàm citissimè recolligeretur: sed Russiæ aliarumq; provinciarum non paucos cives intercessisse consilio, & si ipsis invitis Electio institueretur, divortio facto, alium circumspicere Regem minatos. Ita comperendinatâ Electione, haud fuisse, qui dispersum profugumq; exercitum colligeret. Nam ad Pocillatorem vix paucos, nec multos ad Palatinum Russiæ Visniovecium, quanquam de virtute & curâ erga Rempublicam suâ nihil remittentem, revertisse. Tandem fortunam Polonos diu destitutos clementiore paulò vultu respicere cæpisse apud Zamoscium. Cui urbi præter alios Ludovicum Veiherum cum legione Prussicâ, & trecentis fratris sui Palatini Mariæburgensis Dragonis, bono Reipubl. fato succurrisse, dignum profectò utrumq; gloriâ immortali & insigni Regis gratiâ. Hærente illic fortunâ Chmelnicii, conventum interim Varsaviæ super eligendo Rege habitum, quem & ipsum se

Zamoscianorũ Virtus.

in compendium redactum voluisse, ut tantò citius caput haberet Respubl., sine quo illa vivens vidensq; periret. Et id unicè salutare consilium ab eventu, quanquam seriùs, approbatum; cum, simul atq; Rex renunciatus esset, sine morâ hostis ad mitiora conversus, copias reduxerit. Id felix Regis auspicium, omnia prosperrima in posterum portendere, si ex pietatis normâ res suas agere, si justitiam animo incorrupto, exercere; (quod omnes omninò sperent) perrexerit. Ac quia pacis tractationi, cui jam incumbatur, non ita fidendum sit, quin exercitûs reficiendi simul calere debeat cura, scire Regem oportere, quas copias nunc unà cum sceptro accipiat. Superesse primùm eas, quæ per Palatinatus collectæ, vel ad castra Pilauciana non pervenerint, vel eadem castra, fatali illâ correptæ sideratione, deseruerint. Superesse deinde milites, qui posteà Leopoli fuerint conscripti. Aliquos etiam ex primis cladibus superstites, ad stipendia rediisse. Non paucos deniq; post illas clades, ex ordinario tributo conflatos restare. Primas illas per territoria collectas, in affligendâ paupere plebe, nullum adhuc sibi modum ponere: adeò ut vix sperandum sit, cœlum propitium habituras, cujus iram in ipsas tot inopum lachrymæ provocarent. Meliorem hâc in re hostem,

Electionis properatæ beneficia.

Exercituum reliquiæ.

hostem, qui injuriis ejusmodi coercitis, agricolas quietos, & inde omnia annonæ copiis referta habeat. Legationem ad Turcarum Imperatorem necessariam sibi videri. Minimè enim ferendum contemptum, quem in literis suis Vezyrus ostendat. Ad Moscos quoq; firmandæ amicitiæ causâ mittendum. Cum Svecis ordiendum de pace colloquium. Reginæ viduæ æquum esse prospicere, ne habeat quod queratur. Principem quoq; Carolum profusis in auxilium laborantis Reipubl. sumptibus, gratitudiuem meruisse. Reliqua post se dicturis committere, unum tamen adhuc rogare, ut Palatini Mariæburgensis Jacobi Veiheri, missis nuper Zamoscium trecentis Draganis, optimè de publico meriti, ratio habeatur.

Legationes expediendæ.

Archiepiscopum excipiebat Petrus Gembicius Episcopus Cracoviensis Dux Severiæ: Is verò *Regi Regnum, Regem gratulans, Legationes à Cancellario propositas, ab Archiepiscopo approbatas, sibi quoq; ajebat probari. Et ne sumptus desint, ex bonis vacantibus reliqua istuc destinanda. Urbium limitanearum defensioni tantò plus, quàm hacten9, impendendam curæ; quantò magis jam pateat, malè esse Reipubl. sine urbium munitarum receptu. Tractationis cum Cosacis finem, his Comitiis, haud esse expectandum. Nominandos*

Episcopi Cracoviensis Oratio.

Urbes utiles & necessariæ regno.

 nandos

nandos itaq; ex Senatu & ordine equestri qui nomine Reipubl. citra Comitia etiam incepto operi imponere possint supremam manum. Proventuum mensæ Regiæ destinatorum attentiorem in posterum habendam curam, quò Regiæ necessitati dignitatiq; rectius, quàm factum hactenus, consulatur. Reginæ, & Principi Carolo gratum à Republ. affectum omninò deberi. Militem dedecus Pilavicense, maturato saltem in unum regressu, & modestiâ expiare debuisse. Et quia id hactenus non factum, pœnam mereri. In posterum verò præsidiarium Reipubl. exercitum ita constituendum, ne à finibus Regni unquam abscedat. Eò aliquas ex limitaneis præfecturas addicendas. Conficiendis belli sumptibus servituram rei monetariæ procurationem, & inprimis peregrinæ taxationem monetæ. Agrarium insuper tributum indicendum, non tam rusticis, quàm heris ipsorum. Esse porrò ordinariam militum manum, quæ ex certo agrorum modo Reipubl. mereri debeat; eam desvetudine quodammodò obsoletam, in usum & ordinem revocandam. Captis belli ducibus lytrum, ex præfecturis vacantibus procurandum. Ærarii præfectum Danielovicium fideli opum publicarum custodiâ ac erogatione gratias à Republ., Ducem verò Visniovecium, multis pro Regni

Belli sumptus.

Miles jugeralis.

salute

salute laboribus susceptis, præmium mereri. Ubi is Regi Regnoq; omnia prospera à Deo precatus finierat; Archiepiscopus denuò orsus queri cæpit *de traductâ suâ à nonnullis innocentiâ, qui summum in exercitûs imperium centum millibus florenorum ab ipso venditum jactarent: Regem obsecrans, ut calumnias istiusmodi, quibus suum pro Republ. studium malè pensatum irent malevoli, compesceret; facturam istuc eorum, quæ publicè sub interregno à se acta essent, approbationem.* Sequenti die Nicolaus Gnievossius Episcopus Vladislaviensis & Pomeraniæ, *ortum Regno post nubila Phœbum gratulabatur, &* Regias virtutes facundè edisserens, *ex iis omnia porrò faustissima publicæ rei ominabatur. Quam equidem multarum gravissimarum ægritudinum confluge laborantem*, *ab ipso*, ajebat, *suscipi. Primò enim dissolutam & fræni expertem esse militiam. Et ob hanc disciplinæ labem exercitus priores fusos cæsosq; alterum autem ad Pilaucos inexpiabili maculâ adspersũ dispersumq; Secutos impium militem gemitus pauperum; & contra ipsum pro hostibus stetisse. Primò omnium itaq; adducendas esse laxatas jam nimis disciplinæ castrensis habenas; & ad antiquam severitatem exercendam juventutem; quæ longâ pacis desidiâ in mol-*

Querela Archiepiscopi.

Episcopi Cujaviensis Oratio libera.

Militia.

in mollitiem diſcincta, vigorem animi propè amiſerit. Etiam Ducibus, ut res ipſa loquatur, carere jam Rempubl. cui deliquio ut remedium fiat, non perpetuos eſſe debere ſummos hos belli magiſtratûs. Nullâ re animorum generoſitatem magis ali incendivé, quàm ſpe honorum. Ac plures profectò ad militare decus & intentiùs adſpiraturos, ubi ſumma præmia non à morte alterius demum exſpectanda eſſe viderint. Deinde non cuivis bello quemq; idoneum. Zolkievios, Chotkievicios, Coniecpolſcios, Viros omnium judicio fortisſimos, non omni tamen cum hoſte æquè feliciter dimicâſſe. Nempe diverſa populis militiæ genera; & ſingulis unum hominem rarisſimè eſſe parem. Melius itaq; ſupremum belli clavum in manu Regis fore; qui arbitrio ſuo idoneis viris, cum opus fuerit, committere eum posſit; poſt finitam expeditionem in publico Comitiorum theatro, reddendum ejus in manûs qui dediſſet. Ita animos fortes acrioribus ſtimulis ad eximia decora excitatum iri. Magiſtrum Equitum ſeu Campiductorem poſſe eſſe perpetuum, continuando velut cæpto laborum penſo, & ne diſciplina militaris interſtitio illo reſolvatur. Interim hunc quoq; officii ſui diligentiorem fore, cum Regi integrum eſſe noverit, alium, quando velit, ipſi præficere. Verum enimverò ner-

Duces belli non debent eſſe perpetui.

rò nervum quoque belli deesse Reipublicæ. Cui rei resarciendæ utile fore, ærarii curæ præfectos rationem publicorum proventuum publicè reddere. Et quia donationibus Regis elanguerit ærarium, has sub trutinam, constitutis in id arbitris, vocandas esse. Et sumptus privato Regis ærario mensæq; destinatos restrictiùs in posterum administrandos. Deniq; Ordine nunc carere Rempubl. Eum à justitiæ dicasteriis expectandum. Ut scilicet cuiq; suum citra prolationum fastidia, citraq; corruptionum interventum reddatur jus: ut benefactis merces, flagitiis pœnæ respondeant: Utrobiq; enim modi migrationem noxiam, & scilicet nimiis etiam præmiis virtuti offici; cum uni dantur, quæ in multos dividi poterant. Huc multum utiles fore Regi consiliarios perspicaces, probos, Patriæ amantes, dignitatis Regiæ studiosos. Tales itaq; Principi quærendos, atq; etiam domesticis pietatis & omnigenæ virtutis exemplis faciendos. Facile in principis mores abire aulam. Cæterum tantis, quos expresserit defectibus mancam Rempubl. multis insuper gravissimis malis atq; oneribus jam præcipuè subditorum rebellium perfidiâ. Cui infringendæ precibus advocandam Dei dexteram, & simul prudens Regiæ Majestatis regimen adhibendum. Pœnam meruisse perduelles,

Nervus belli.

Ordo & disciplina restauranda.

Consiliarii Principis.

Onera & pericula Reipubl.

Cosaci placidè tractandi. *sed difficulter ad pœnam trahi, qui causam suam armis peragant. Potiùs itaq; videri justitiæ rigorem ita clementiâ temperandum, ut nec impunitate crescant facinora, nec severitate nimiâ irritentur facinorosi. Prætereà terram magnis depopulationibus deformem Regi jam offerri. Quippe non ab hoste tantùm, sed à suis stipendiariis indignissimè habitam. Illis præcipuè, quos singulæ provinciæ seorsim coegerint. A quibus & Regalia, & Ecclesiastica, & Nobilium bona miserrimè exhausta sint. Et quod pessimum, culpâ ipsarum provinciarum, quæ inconsultis decretis suis, ostium militari licentiæ aperuerint. Ac Regalium quidem vindicias Regi curæ fore. Sed nec Ecclesiasticorum injurias impunè abituras. Gaudere istorum bona, pari cum hæreditariis Nobilium facultatibus, immunitate: & in jure patrio, eam multis legibus ratam esse;* (simul verò è legum volumine legi jubebat, quæ super eâ re sancita essent.) *Nec Reges quidem unquam permisisse sibi, quod provinciarum statuto, nunc militibus licuerit: ut scilicet & Præbenda, & pecunias insuper à subditis Ecclesiasticis exigerent. Ægris dudum oculis à nobilitate bona Clericorum adspici. Cum plurimi equitum, apud istos victum, levi ministerio mereant. Et multæ nobiles familiæ sacris*

Provincialis Miles vulgò Powiatowy Zolnierz reprehenditur.

Ecclesiastici defenduntur.

sacris istis opibꝰ exsurgant firmenturq́ȝ. Jam & lingvarum licentiâ, sacrorum ministros à multis perstringi, haud pensi scilicet habentibus, in Deum redundare istiusmodi injurias. Tempore belli Chotimensis quendam, non obscuri nominis, de pecuniæ in belli sumptus acquirendæ rationibus consultum, Judæis & similibus purgamentis per contemptum sacrificulos annumerâsse. Sed illum vindicem Numinis iram expertum, unà cum familiâ & stirpe suâ interiisse. Inter onera deniqȝ Reipubl. suspectam vicinorum Amicitiam jure reputari. Quare fœdera cum iis gentibus, quæ jam toties nominatæ sint, pacisq́ȝ negotiationes haud derelictui habendas. Turcici inprimis Imperatoris quærendam benevolentiam, & de Tartarorum injuriis apud eum expostulandum. Hos verò ipsos armis impetendos. Aliud olim sibi visum, & improbata à se Regis Vladislai in eo negotio consilia. Sed nunc, magistro rerum eventu, doctiorem se, sententiam mutare. Administrandi ejus belli rationem secretò, si requiratur, explicare malle. Armamentariorū verò & apparatuū bellicorum minimè seponendam curam. Quod ad reliqua attineret, in his ea, quæ ante ab aliis dicta essent, sese comprobare. Præcipuè Reginæ omninò liberaliùs prospiciendum esse. Haud illi suam in commu-

Legationes decernendæ.

Tartari impugnandi.

Reginæ consulendum.

Beneme-ritis præmia danda.

communicatis Regi marito opibꝰ propriis facilitatem fraudi esse debere. Famæ defuncti Regis consulendũ, animamq́ ejusdem, quantum fieri possit, exonerandam. Etiam Principi Carolo, pro effusis in Reipubl. necessitates sumptibus, gratiam luculentam referendam: adeoq́, si quæ vacarent, conferendas ei Abbatias. Aliorum deniq́, qui de Republ. benè meriti essent, habendam rationẽ. Inprimis Ducis Visniovecii, Andreæ Firleji Castellani Belzensis, Stanislai Lanckoronscii Camenecensis Castellani, Ludovici Veiheri Palatini Pomeraniæ, Nicolai Ostrorogii Pocillatoris Regni. A quibus & edita multa jam opera verè egregia; & majora expectanda, si justis adminiculis erigantur. Exules tandem beneficiis regiis adjuvandos, iis inprimis, quæ in natali, aut habitatâ cuiq́ Provinciâ vacent. Neq́ enim convenire, ut Rutheno apud Camenecíam, vel nobili Prusso apud Dantiscum dentur possessiones. Deniq́ petere se, non tàm suo, quàm Palatinatûs sui nomine, qui id & internunciis suis demandaverit, ut Episcopi Vladislaviensis proxima ab Archiepiscopo sedes, nullis controversiis amplius aut protestationibus solicitetur. Quod restet, Regi quàm florentissimum regimen precari se, & ut quietius serò olim successori tradere Imperium possit, quàm ipse nunc accipiat, Deum orare.

In can-

In eandem ſententiam ſed brevius paulò, quòd omnis materia occupata & exhauſta videbatur, reliqui etiam qui aderant Epiſcopi; præcipuè Culmenſis, Andreas Leſcinius, qui Vice Cancellarius juxta erat; & poſt hos Palatini; Breſtenſis inprimis, Smolenſcenſis & Mazovienſis, hisq; finientibus Caſtellani complures, interq; eos principe loco Stanislaus Witowſcius Sendomirienſis, & deniq; Mareſchalci perorabant.

Poſt hæc de Legationibus ad exteros Principes expediendis Magnus Regni Cancellarius Oſſolinſcius diſſeruit, nominans ſimul quos mittendos judicaret. In Moſcoviam deſtinabat Leonem Sapieham M. D. Lithvaniæ Vicecancellarium. Ad paciſcendum cum Svecis deſignabat Joannem Leſczynium Comitem in Leſzno Caſtellanum tum Gneſnenſem, Zbygneum Goraiſcium Caſtellanum tum Chelmenſem, Boguslaum Comitem de Leſzno, majoris Poloniæ generalem, Sigismundum Guldenſternium L. Baronem, Præfectum Stumenſem, tum & Mariæburgenſem Oeconomum: quibus Lithvani ex ſuis quem lubuiſſet, adderent. * Idem Leoni Sapiehæ, quem modò nominavim9, publicè gratias agebat pro ſummo in pa-

Legationes decretæ.

** Sapiehæ Vice-Cancellario Lithvaniæ gratiæ aguntur publicè.*

in patriam ſtudio, quod is, ter mille militibus ſuo ære conſcriptis & ad reſtinguendum commune incendium misſis, raro & in omnem poſteritatem celebrando exemplo, oſtendisſet. Cum Coſacis conſilio potiùs, & benignè quàm vi agendum ſuadebat, Regis Hiſpaniarum fortunam allegans; cui prima in Hollandos ſeveritas tot provinciarum diſpendio conſtiterit.

Archiepiſcopo gratiæ aguntur à nobilitate.

Orationibus Senatorum auditis, ad judicia Rex convertebatur, & jam cauſæ diverſæ proponi agiq; cœperant. Sed proferri mox res iſtas omnes oportuit, quod Ordinis Equeſtris nuncii dari ſibi Senatum poſtularent. Quod ubi fieret, ante alia Archiepiſcopo Gneſnenſi, ut Regni Primati, pro ritè adminiſtratâ tempore interregni Republicâ, ab Epiſcopo Cracovienſi Gembicio, præſentibus nunciis, gratiæ actæ ſunt. Inde orſus nunciorum Director Dubravius, eadem, quæ ante, ordinis equeſtris nomine, Regem orabat: ſimul bona muniaq; publica, quæ in quoq; Palatinatu vacarent, de

Vacantia bona.

ſcripto recitans. Inter ea Pinſcenſcium oppidũ numerabatur, quod manifeſtâ cum Coſacis conſpiratione posſesſionum ſuarum jure excidisſet. Reſpondit Cancellarius nomine Regis, *memorem fuisſe ipſum de vacantibus iſtis bonis. Et jam nunc quid*

de iis

de iis constituisset, significatum Nunciis voluisse. Simul quid cuiq; ex Regni possessionibus vel dignitatibus obvenisset, recensebat. *De Prussicis ampliare Regem, ut cum nunciis ejus Terræ agere ante super iis controversiis possit. Illa tamen, quæ filius suus nuper defunctus in Prussiâ tenuisset, sibi in solatium orbitatis & doloris à Rege data. In cæteris, quæ postularent, jam nunc cum curâ dispicere Regem, ut ipsis satisfiat.* De Pinscensium civitate respondebat Sapieha Vicecancellarius Lithvaniæ; *non posse eam, antequam criminis convicta esset, capite diminui, multarivé fortunis. Et porrò si quid inde obventurum sit, id Regi deberi; inter cujus bona illud oppidum censeatur.* *Pinscensium proscriptio.*

Posteà Palatinus Sendomiriensis peroravit. *Qui in proximo Electionis Conventu non auditum se, & sinistris tamen judiciis notatum, atq; adhuc ubiq; notari,* querebatur. *Cum tamen non ipsi maculæ Pilavicensis culpa, sed iis potius, qui nescio quâ paris potestatis opinione imperium ipsius dedignati, idem nâ apud alios etiā vile reddidissent, imputanda sit: quemadmodū ex relatione quam dudum Archiepiscopo reddiderit, apparriturum sit.* *Palatinus Sendomiriæ purgat se de Pilauciana dissipatione.*

Ea tum publicè legi jussa, non exilem mox animorum exacerbationem concivit: adeò ut Præfectus Lomzensis, quod se inter alios perstrin-

perstringi intelligeret, falsi accusaret relationem. Alter per, quicquid cœlo terrâve carum haberet, dejerabat, vera esse, quæ istic scripsisset. Alter quæsitores postulabat, rem omnem propius cognituros. Incaluerant animi, & magis magisq; verbis exasperabantur. Donec Rex jurgio tali, & inprimis Præfecti verbis offensum se non dissimulans, per Adamum Cazanovium, Mareschalcum Aulæ, honoris, qui Majestati Regiæ & Senatui deberetur, acri sermone omnes admonuit.

Postero die nuncii terrarum Prussiæ, horâ præstitutâ, in interius Aulæ conclave admissi sunt: facto ante per Sigismundum Gûldensternium L. B. Præfectum Stûmensem, intimæ apud Principem admissionis familiarem, de negotiis tractandis, prætentamento. Posteà verò, omnibus amotis, Cancellarius præsentis jam Regis voluntatem nunciis eloquebatur: *Regem nempe jura terrarum Prussiæ, quibus munera & bona illius provinciæ Indigenis addicantur, secundum antiqua instituta & leges etiam Anno 1647. firmatas, sarta tectaq; habiturum.*

Cum Prussis agit Rex de eorum gravaminibus.

Ærarium ejus terræ pariter prisco & hucusq; semper observato more administratum velle.

Præsi-

Præsidium Pucense nonnisi indigenæ commissurum, cæteraq; circa illud præsidium mota, ubi in Prussiam venerit, adhibitis in curæ partem Consiliariis Prussiæ, compositurum.

In vectigalibus Regiis quòd difficultates moveantur Prussis, Regi ingratum esse: sed quia res nondum ipsi explorata sit, cum Cancellariis & Thesaurariis Regni eâ super re conferendum fore. Optimum verò factu videri, ut majores Prussiæ civitates vectigalia conducant, juri suo sic tantò faciliùs consulturæ. Appellationes à judicio Assessorum Prussiæ ad Regium Relationis forum in causis rei judicatæ, aut ubi partes sponte se jure appellationis abdicant, non permitti equidem, & jure non permitti, etsi aliis in causis eas Rex haud prohibeat. Stata tempora causarum Prutenicarum cognitioni præfiniri non posse: & nec Electorali Prussiæ præfinita ulla esse. Tamen certos in hebdomadâ dies iis assignaturum, & porrò nè frustraneis itineribus sumptibusvè fatigentur, judicia ipsis maturè significaturum. De privilegiorum Janicovianorum falsitate aliunde jam inaudisse Regem. Quia verò institutis antehac eam in rem inquisitionibus, partibus non sit satisfactum, perscrutando penitiùs negotio cognitores missurum, cum

Consiliariis Prussiæ rem omnem excusuros Regiq; relaturos. Interim decreta, quæ nonnisi in illis privilegiis fundamentum haberent, in suspenso habitum, neq; publicis tabulariis insertum iri.

Janicoviana privilegia. Verùm privilegia illa, qualia sint, verbo indicandum est. Nomen ea accepêre à Janicovio quodam, nobili homine, qui his proximis annis multa exoletæ vetustatis diplomata in ruderibus arcis cujusdam Pomeranæ reperisse se jactitans, caro ea venditabat, dubia passim in Prussiâ possessionum jura redditurus, nisi alii proceres, & cum iis Dantiscani, præeunte inprimis Adriano de Lindâ Præconsule, tum ad Conventus Prussicos subinde misso, suspectam hominis negotiationem reddidissent, & tandem ipse impostor lite cum alio nobili viro susceptâ, vi oppressus, periisset.

In Electionis Conventu (ut ad rem institutam redeam) si quâ in re læsi sint Ordines Prussiæ, Regi id minimè imputandum.

In causâ limitum inter bona Regalia, ut vocant, terrestria non difficilem fore Regem; dummodo juri Majestatis, & bonorum Regalium nihil decedat.

Tidenhofiana possessio, an ad œconomiam Mariæburgensem pertineat, non disquisitum Regi, & cum à Sigismundi patris temporibus

à Condu-

à conductoribus habitam illam meminerit, eam à se quoq; jam elocatam. Contractum istum sub hæc imperii sui primordia factum, irritum fieri, grave Regi, nec Ordinibus decorum; elapso contractûs tempore, aliam rationem de fundo isto & magis ad votum Ordinum, initurum Regem.

Quod ad bona attineret, quæ tempore belli Svecici desolata, & in spem reparationis, certis privilegiis atq; à tributo publico immunitatibus essent prædita, (Emphyteutica hinc dicta) ea privilegia & immunitates ad præfinitum usq; tempus rata habiturum Regem: nec iis decreta, in Interregno facta, quicquam derogatura.

In posterum tamen, nulla amplius ejusmodi privilegia postulanda esse. Et quia eorum prætextu fraus fiat ærario; per instigatorem Regni diem dicendum iis, qui dicta privilegia eò protendant, ubi illis locus non sit. Præfecturam Mariæburgensem non solis tantùm Prussis, sed aliis etiam Regni incolis conferri posse, Regi omninò persuasum fuisse, eoq; Joanni Comiti de Leszno Castellano Gnesnensi viro optimè de Republ. merenti, collatam. Si tamen id juri suo adversum esse nuncii Prussici in consessu Ordinis equestris ostenderint, effecturum Regem, ut Castellanus dictâ præfecturâ cedat.

De Præfecturâ Brodnicensi pariter Regem Ordinibus gratificaturum post fata hodierni possessoris (is erat ipse, qui loquebatur, Cancellarius) *ne posteà ulli, nisi indigenæ detur.*

Deniq; Regem, in universum, Ordinibus Prussiæ paternum affectum & juge pro juribus ipsorum non conservandis tantùm, sed & augendis studium spondere.

Cum finîsset Cancellarius, digrediebatur Rex: Nuncii verò inter se capita conferebant, quid jam factu porrò opus esset, deliberantes. Ac res ejus momenti erat, ut super eâ meritò Consiliarii etiam Prussiæ consulendi viderentur. Sed hi tum nulli aderant, præter duarum Prussiæ insigniorum Civitatum delegatos. Elbingenses Matthiam Richterũ miserant, Consulem & Syndicum suæ civitatis, eundemq; Regium Juris-Consultum. Dantisco tres aderant. Quorum caput erat Adrianus von der Linde Præconsul, postea Mirachoviensi præfecturâ à Rege donatus, alter Georgius Bömelius Consul, posteà pariter Præ-Consul, tertius Vincentius Fabricius Syndicus. Cum his, etsi die postero de publicis Prussiæ negotiis, consilium inire Nuncii decreverant, haud successit tamen deliberatio, quod primariis Prussiæ Consiliariis absentibus,

Delegati Prussicarum Urbium.

tibus, nihil in tam arduis ſciſci poſſe videretur. Interim Nuncii reſponſo Cancellarii haud contenti, magis magisq; ad agendam jurium ſuorum curam, ſponte ſuâ, mutuoqvé hortatu, incendebantur. Adeò ut exinde aliquot diebus in conſeſſu ordinis Equeſtris acerrimè cauſam ſuam urſerint; in pactis conventis, proximâ Electione ſui non habitam rationem, multisq; in rebus juri Pruſſico usq; contraveniri vehementisſimè querentes, nec quicquam aliud permittentes agi, antequam ſuis poſtulatis ſatisfieret. Alii his cætera &, ut ipſis videbantur, graviora poſthaberi indignantes, longis diſceptationibus Pruſſos à propoſito dimovere laborabant: ipſi tamen etiam inter ſe disſoni, & quid primò, quid ſecundo deliberandum esſet, ſtatuere impares. Erant, qui arcendi hoſtis, Regniq; defendendi curam omnibus præmittendam ducerent. Quò cum militiæ regimen pertineret, in eo ut Dux Viſniovecius à Rege confirmaretur, petendum ajebant. Alii de corrigendis erratis, quibus à legum pactorumvé normâ deviatum esſet, deliberandum ſvadebant: quo in numero quidam erant à Religione Romanâ disſidentes. Alii ab ærarii Præfectis acceptorum expenſorumq; rationes poſtulabant. Dum de his fluctuare-

Pruſſi nondum contenti.

Disſenſiones circa agenda.

tur, militum etiam ex Corſunenſi clade ſuperſtitum nuncii intervenêre: Ducum ſuorum, nec non commilitonum quorundam redemptionem, ſtipendia debita, tum & gratam omnium remunerationem & mutilorum alimoniam poſtulantes. Quorum cauſam apud Regem agere, Director nomine nunciorum ſpopondit. Erant alii quoq;, qui Lanckoronſcii Caſtellani Camenecenſis, copiarumq; quæ cum ipſo feliciter in Podoliâ rem geſſiſſent, rationem habendã dicerent. Nonnulli Firlei Caſtellani Belzenſis, quidam & Oſtrorogii Pocillatoris & deniq; Corniakti Aulici Regii rem agebant. Allatæ quoq; literæ Fromundi â Ludinghauſen, nominati Wolffii, Tribuni, Regii, dein poſt Chriſtophorum Grodzicium defunctum, rei armamentarii præfecti Generalis, qui curam Prætoriæ legionis, optimè hactenus, ductu Oſſincii Tribuni, de Republ. meritæ, Ordini Equeſtri commendabat. Sed & Epiſtolarum à Principibus profectarũ lectio aliis negotiis interpoſita eſt. Nam & Anna, Princeps Crojana, Boguslai ultimi Pomeraniæ Ducis ſoror, æs olim Sigismundo Auguſto mutuò datum, repoſcebat: Et Jacobus Curlandiæ & ſemigalliæ Dux miſerat Legatum, qui territorii Piltenſis ad Ducatum Curlandiæ, ſecundum pacta

Benemeriti cives.

Principis Crojanæ poſtulata.

pacta & autoramenta vetera, redactionem, tum restitutionem quinquaginta millium pro liberatione præfecturæ Grobinensis : item ablatorum à Svecis proventuum compensationem, in compositione Stumdorfianà promissam; adhæc juris Ducalis in prædiis feudalibus vindicationem, & deniq;, qvia Dux tum conciliationi Svecorum cum Polonis non sine sumptu incumberet, præstandi per Legatum homagii copiam peteret. Literæ itaq;, quibus fides aditusq; Legato, negotiis verò toties hactenus prolatis, felicior celeriorq; expeditio quærebatur, lectæ sunt publicè. Effectus literarum Legatiq; posteà apparebit. Cæterum Nuncii Equestres, haud quidem usq; inter se unanimes, magis magisq; tamen ad concordiam videbantur componi. Prussi certè, postquam formulæ, ad quam suas injurias resartas vellent, concipiendæ accepissent potestatem, conquieverant aliquantùm. Porrò ut compendium fieret consultationum, placuit, audiendis ærarii rationibus, atq; insuper publicæ securitatis curæ ex Senatu ordineq; equestri aliquos assignari. Lithvani Trubecense nogotium hoc est compensationem damnorum, quæ multi ob redditum Moscis, ex pacto, Trubecense territorium passi essent, urgebant: porroq;

Curlandiæ Ducis desideria.

Trubecensium postulata.

caveri ſibi volebant, decretis in ſuo Tribunali latis autoritate Comitiali non obrogatum iri, & deniq; , *ſummarios*, quos vocant, *judiciorum proceſſus* in nobiles exercere, fas non fore. Sed maximè tum animos curasq; Judicis cujusdam Samogitiæ cauſa in ſe adverterat. Qui cum Epiſcopo Smolenſcenſi, certas ob injurias, jure expertus, foro cum excluſerat civili. Ille adverſario majus fulmen oppoſuit, & advocatâ Romani Pontificis autoritate, ſacrorum communione eum multaverat ; ſoluto ſimul obſequii nexu, quod ei ſubditi deberent. Quos ideò is tum vitare cogebatur. Res gravis & exemplo formidanda videbatur nobilitati. Unde mox factum Epiſcopi multi præproperè damnabant ; Judicis illius filiũ, qui agendæ patris cauſæ aderat, ſtudiis impensè juvantes. Effectumq;, ut extemplò tres Nuncii mitterentur ad Regem, oraturi, ne foro omni civili excluſos, ſeu, ut vulgò vocantur, bannitos, locum in Senatu habere pateretur. Rex negabat ſibi de quoquam tali conſtare, *cæterum ſuper eâ re inquiſiturum ſe, cumq; Cancellariis collaturum amplius ; re benè cognitâ, voto Equeſtris Ordinis ſatisfacere ſe conaturum* Interim Prusſi formulam, quâ jurium ſuorum damnis mederi ſperaverant, paratam attulerunt, jam porrò

Judicis Samogitiæ negotium cum Epiſcopo Smolenſcenſi.

eam

eam publicè legi desiderantes. Sed alii prae-mittendam clamabant legem in discessionis Pilavicensis autores latam. Quae ut horrendi carminis, haud adhuc tamen omnes habere numeros videbatur, aliis hoc, aliis aliud mutandum addendumvé, ad asperandam tanti facinoris invidiam ac paenam, pertendentib9. Dum hi de asseverandâ lege soliciti sunt, Director consessùs mitiora suadere caepit Nunciis: cùm *Cosacorum*, inquiens, *complicibus, subditis suis veniam largiti sint, non esse adeò jus acuendum in fratres suos, quorum consiliis eventus quidem felix, non item voluntas benè rem agendi defuerit.* Ei suffragabatur Sarbievius Praefectus Graboviensis: potiusq; ad *publicae securitatis custodiam, audiendaq; ea, quae istâ in re Deputati constituissent, animos converti suadebat.* Idem alii succlamabant. Sed subinde Wanglicovius Ensifer Culmensis intercedebat, suam, quam attulisset, formulam perlegi postulans. Haec ita agebantur eo die, quo Comitia ex praestituto finienda erant. Res ipsa itaq; postulare videbatur, ut terminus Comitiis positus prorogaretur. Idq; jam pridem aliqui suaserant, & nunc idem cum cura agebant nonnulli; inprimis Stephanus Korycinscius, Praefectus Oswiecimensis, posteà Cancellarius

Pilauciana discessio adhuc exagitatur.

Comitiorum prorogatio petitur.

cellarius Regni: qui libertatis, omnisq; publicæ salutis cardinem eâ in re verti dis-

Sed diu frustrà.

serebat. Sed irrita erat Viri facundia inter dissonos, & vicit pars illa, quæ prorogationem Comitiorum respuebat, an sumptuum parcitate, (nam publica calamitas multos exhauserat) an domum revisendi, & rerum fortunarumq; suarnm quasi tabulas ex naufragio recolligendi desiderio, haud dixerim. Jus certè, quo prolongatio vetaretur, omnes isti obtendebant. Dies interim defluxerat, nec restare aliud videbatur, quàm ut exequiæ irentur Comitiis. Antequam tamen discederent, Judex quidam ex Podoliâ acri oratione Nuncios, ut periculi communis incurios, & inanibus potius, quâm rerum momentis tempus insumentes perstrinxit: addito, cùm à fratribus deserantur, ad Regem sibi confugiendum. Subjecit Sarbiewius, *ituros se ad Regem, ut ea*

Comitia animam agunt.

saltem referrent, quæ de securitate publicâ statuissent. Consensu in id facto, surrexêre omnes, & Directore raptim, pro commisso munere, cujus insigne, baculum, projectabat, gratias agente, ad Regem itum est. Qui eo tempore, post auditos Lithvanici Exercitûs Nuncios, cognitioni litis inter Lavrossevium Propalatinum & Palatinum Vilnensem, magnâ utrinq; contentione,

tione, ſtudiorumq́; certamine agitatæ, intentus agebat. Nunciorum autem Terreſtrium adventu interpellat9, in Senatorium conclave conceſſit. Ubi Director Regem alloqui orſus, miſerabilem Reipubl. ſortem declarabat; *ſimilem illam naufrago demonſtrans, qui poſt quasſam ſidentemq́; vi tempeſtatis ratem, tabulæ inſidens, in medio mari inter deprœliantium ventorum iras jactaretur. Tali ſanè homini ſpem nullam ſalutis expediendæ, quàm in Dei clementiâ, reſtare. Pariter nunc deſtitutam omni ope Rempubl. haud habere quò confugiat, quàm ad divinæ miſerationis aram, & poſt hanc, ad prudentiæ Regiæ aſylum.* Illicò Archiepiſcopus & Cracovienſis Culmenſisq́; Epiſcopi orâre nuncios, *ne poſitam in tàm dubio ſtatu Rempubl. deſtituant: largiendum Patriæ unum ſaltem diem; quo negato, ſalus publica conſtare non posſit, nec aliud, quàm extrema Regni pernicies expectari debeat. Et defuturam miſeris excuſationem, qui parvâ morâ ſummum patriæ periculum redimere noluerint.* Tandem & Regni Cancellarius Osſolinſcius magnæ eloquentiæ Vir abiturientes alloquitur: *calent adhuc,* inquit, *Regiæ Majeſtatis aures ſecundisſimis veſtris pro felice ejus regimine votis: & ſonare usq́; videntur omina acclamationibusq́;*

Director Ordinis Equeſtris Regem implorat.

Comitiorum prorogationem poſtulant Senatores.

Et Rex per Magnū Cancellariū.

quibus

quibus nuper prosperrima omnia Reipubl. nostræ â Regiâ felicitate promittebatis. Ac grata habet Regia Majestas tam vota, quàm omina vestra, eademq; quantum in se eſt, rata facere ex animo optat. Sed idem eo magis nunc vosmetipsos vota vestra, spesq; morari, & felicitati publicæ intercedere, miratur doletq;. Per amorem itaq; patriæ communis, per omnia sacra, per cara pignora, per fidem & reverentiam Regi debitam, per suam, in extrema omnia, pro patriâ, eundi promptitudinem, vos obtestatur, ne Patriam deseratis. Fundamenta jurium & libertatum vestrarum vertuntur in conclusione Comitiorum. Salus Patriæ à legationibus, & pacis cum vicinis suspectisvé populis negotiatione dependet. At hîc jam constitui oportet; quomodo illis consuli velitis: simul & sumptus in tàm ardua rerum procurandus. Videte enimverò, in quo præcipitio relinquatis Rempublicam. Hostem domi & intra viscera vestra habetis. Opprimit is fratres vestros: multis etiam vestrûm, reditum ad cara pignora intercludit. Nonne subit tot sub cultro relictarum & vobis meritò carissimarum provinciarum miseratio? Nonne afficit vos Cosacorum cum Tartaris jurata in jugulos vestros societas? nonne ambigui de aliorum populorum in nos consiliis rumores percellunt?

Pericula ex Comitiorum dissolutione expectanda.

cellunt? Excubuit ſanè hactenus pro nobis Divina providentia. Sed laſſabitur tandem negligentiâ noſtrâ, ſi ſic porrò nobis ipſi deerimus. Quare iterum iterumq; Rex Veſter, Pater veſter, Dominus veſter, vos recenti obſequii fide ſibi innexos, unum jam diem poſcit, imò (nam ita me loqui voluit) orat.

Dubravius poteſtatem Directoris depoſitam, re ſic ferente, recapesſens, ſententias Nunciorum, ſuper Regio poſtulato, perrogat. Quorum aliqui nullam prorogationem, alii unius diei, alii plurium aut trium ſeptimanarum volebant: pleriq; tamen ſub conditione, ut prorogatione hâc impetrarent, quod ſuus cuiq; Nuncio Palatinatus exigendum dedisſent. Cancellarius nomine Regio prorogationem cum gratiis acceptans, *curæ fore Regi pollicetur, ut non ſecuritati publicæ tantùm, quam omnes ferè poſtularent, ſed & plerisq; ſingulorum deſideriis ſatisfiat.* Poſtero die cum Prusſorum Nuncii primi omnium ſua poſtulata in arenam producere niterentur, à Cancellario & aliis Senatoribus comiter retenti ſunt. Cracovienſis item Nuncius, Chrzaſtovius Subjudex, vir acer & facundus, trium ſeptimanarum prorogationem & ſimul exorbitationum publicarum emendationem poſcere orſus; ægrè tulit alia præverti: *hoc*

Prorogatio Comitiorũ, impetratur.

quod ipse peteret, pactorum conventorum caput esse, inquiens, *& juramenti Regii membrum præcipuum*. Cancellarius tamen, habitam inter designatos Nuncios de *securitate* deliberationem primò omnium & latè exponit: cujus præcipua momenta effectusq; non refero, ut qui in ipsis Comitiorum istorum conclusionibus paulò post memorandis apparebunt. Cum finiisset Cancellarius, denuò Cracoviensis Subjudex id, quod de exorbitationibus corrigendis orsus erat, pertendere cœpit: nominatim Dissidentium rationem, ut in Electione promissum sit, haberi postulans. Sed & Prussi, quæ in Electione negata sibi fuerint, nunc præstari flagitabant. Cùm his utrisq; alii obloquerentur, Cancellarius negotiorum obicem amoliri tandem cupiens, *Prussorum haud nova vel iniqua postulata esse ajebat, & rem Dissidentium in Electionis Comitiis compositam, nunc supremâ tantùm manu indigere*. Eidem Obuchovicius, Tribunus, Mozerensis, vir Romano-Catholicus suffragabatur. Sed magno fremitu contradicebant alii. Tandem Cancellarius liti magis magisq; inardescenti autoritatem Regiam interponit; *velle*, inquiens, *Regem, dissidentium postulata ad proxima Comitia rejici, datâ ipsis obtinendæ*

isthic

isthic satisfactionis cautione, & in fidei autoramentum majus, ipsius Sacræ Regiæ Majestatis scripto. Interponere se item pro Bolestrasscio, ut ei, ob Religionem capite diminuto, honor pristinus restituatur. Jurium porrò emphiteuticorum Prussiæ examen & declarationem postulare Regem, quia ea res ad Ærarii curam, & sic porrò ad securitatis publicæ tutelam, quæ sine ærario constare nequeat, pertineat. Jus deniq; indigenatûs Prussici sartum tectumq; inposterum haberi velle.

Causa dissidentium differtur cum cautione Regiâ.

His ita compositis ad instaurandæ militiæ & stipendiorum curam tandem accessum est; & tanto quidem impensiore studio, quod literæ tum fortè allatæ essent, de aliquot millibus rebellium rusticorum, qui à Chmelnicio segreges, Voliniam pervolitarent, quotidianoq aliorum accursu augescerent in majus. Et porrò de Chmelnicii ipsius arrogantib⁹ responsis minisq ea nunciabantur, quæ cæptæ Commissionis minimè secundum exitum portenderent. Cæterùm, cùm de militiæ instituendæ ratione deliberari cæptum esset, prima omnium de Duce disceptatio fuit. Cujus delectum Rex, jure suo, quo omnia honorum genera pro arbitrio suo dispensare solet, sibi reservabat. Et is equidem Visniovecio communibus ferè

De Duce militiæ deliberationes.

bus ferè nobilitatis suffragiis eam dignitatem destinari, non ignorabat. Non æquè tamen ille consensus Duci proderat, quàm oberant disſvasiones æmulorum. Quibus Dux ætatis, & spiritûs adeò fervidi, non æquè sopiendo quàm fovendo, bello videbatur idoneus futurus: tantis inter illum & Chmelnicium flagrantibus odiis; ut, eo electo Duce, conatus pacificationis, nunc publicæ Saluti unicè necessariæ, vanus fore æstimaretur, Chmelnicio, huic tali & tantâ potestate armato hosti suo, nunquã habituro fidem. Hæc aliquomodo vera erant, at in majus à nonnullis exaggerabantur. Rex deliberationem tandem minore civium offensâ, finire cupiens, potestatem, quæ Visniovecio negaretur, nulli dedit, sed penes se retinuit: ipsum se, si opus futurum sit, belli hujus Ducem fore pollicitus. Secundam à se belli potestatem inter tres partitus est: quorum primus erat Andreas Firlejus Belzensis, alter Stanislaus Lanckoronscius Camenecensis Castellani, tertius Nicolaus Ostrorogius Regni pocillator. Hæc in consilio Regio agitata, etsi nonnulli privatim refragarentur, rata tamen mansêre. Juxta tum publicè super exercitu & stipendiis singulorum Palatinatuum auditæ sunt sententiæ. Et cùm alii alia, quidam expeditio-

Visnovecii virtutes & defectus.

Duces militiæ tres constituti.

peditionem universalem, ubi opus esset, indicendam, nonnulli provincialem militem, qualis ante lectus esset, retinendum censerent, huic quidem Militi provinciali ordo inprimis Ecclesiasticus vehementer reclamavit: *Eum procul remotum,* ajebant, *à loco periculi, longoq; adeò agmine tractuq; bonis Regiis & Ecclesiasticis gravem incedere: & diverso armorum militiæq; genere informem reddere exercitum: porrò effrenem, plerumq; & inexercitatum: & quia prædationibus nimis inhiet, multis inde pauperum subditorum lachrymis comitatũ, Dei favore destitui.* Cùm sic iterum tam de milite, quàm stipendiorum ratione variarent judicia, tandem in Subjudicis Sedomiriensis Stanislai Szczucii itum sententiam est, qui dispositionem ordinandi exercitûs Regi committendam censebat. *Illi, militem pecuniamque destinatam, prout necessarium Reipubl. ipse cum ordinariis Regni Consiliariis judicaverit, colligere ac dispensare, fas esse debere.* Cancellarius, cui Sub-Judicis sententia vehementer placebat, pro oblato Regiæ Majestati, tutelæ publicæ regimine gratias agit, simul & quo pacto is instituere res belli velit, breviter explicat. Posteà tandẽ, quicquid his Comitiis definitum ordines voluerant, in certam

Miles provincialis improbatur.

Belli cura Regi committitur.

formulam colligi ac Nunciorum judicio ſubjici cœpit: & licet ſubinde adhuc intervenirent contraria ſtudia, in certa tamen capita deniq; conventum eſt: quæ in publicarum legum codice latiùs expoſita, nos hîc ſtrictim attingemus.

Leges in Comitiis Coronationis ſcriptæ.

Primò omnium acta Interregni, decreta item judiciorum Capturalium (paucis exceptis) tum & edicta provinciarum ſub interregno promulgata pro ratis habentur.

Commisſarii deſignantur, in exercitûs numerum & ſtipendiorum emeritorum rationes cum curâ inquiſituri.

Exercitus ordinarius (Quartanus dictus) ut eodem numero & genere militiæ mereatur, atq; in locum Coſacicarum copiarum, quæ per rebellionem ab exercitu abſcesſerint, aliæ Polonicæ ut ſubſtituantur, deniq; ut univerſo exercitui ſtipendia numerentur, decernitur.

Quia ordinarius exercitus præſentibus Reipubl. neceſſitatibus non ſufficiat; aliæ inſuper copiæ ex binis tributis in ſingulos focos conſtitutis, & in nullos alios uſus convertendis, confici jubentur.

Diſciplinam militarem, quam nimis obtuſam tota Reſpubl. queratur, ſecundum priſtinarum conſtitutionum rigorem, acuere Rex pollicetur, quò luxus militum coërceatur,

tur, circuitus eorum nunc usitati prohibeantur; contrà ad confinia Regni, ubi præsidio militari opus est, modo legibus concesso, miles alatur, ne bonis nobilium, nec Ecclesiasticis, vel Regiis gravis sit.

Nobilitatem tumultu publico ad militiam evocandi potestas Regi ad futura usq; Comitia relinquitur, cautione additâ, ne isto exemplo veteribus juribus usitatisvé circa evocationem consvetudinibus quicquam decedat. Et Palatinatui Podlachiæ, terræ item Lucoviensi, nec non Prussiæ seorsim, antiquis isto in negotio moribus utendi copia datur.

Pacta & fœdera cum externis, præsertim finitimis, ex consilio Senatorum tum præsentium, renovare Rex pollicetur.

Ad compositionem cum Suecis tentandam, Recuperatores seu Commissarios designare Rex promittit; qui ut legitimè instruantur, ad conscribenda instructionis capita, certi Senatores Regni & M. D. Lithv., tum ex ordine equestri duodecim idonei viri deliguntur nominanturq;.

Quia militiæ Cosacicæ refrænatio ac compositio moram non ferat, Regi verò ne cum Senatoribus quidem & Consiliariis suis, in negotiis, quæ ad Comitia pertineant, sciscere quicquam fas sit, designantur magno numero ex utroq; ordine, Senatorio & eque-

ſtri viri, iſto in negotio Regi præter ordinarios Senatores adfuturi.

Iſti conſesſui ut in quibusdam autoritas comitialis conceditur, ita in aliis eadem circumſcribitur, additurq́ conditio, ut omnium, quæ acta fuerint, publicè in proximè futuris Comitiis relatio fiat.

Cum multi militiæ ductores, ex pacto, & pro pecunia ex publico accepta numero, militem ad ſuperiorem expeditionem non ſtiterint, citari ad Tribunal & cauſam dicere; porrò, cùm publica exercitûs recenſio hactenus non facta ſit, jubentur iidem Ductores numerum ſuorum militum inire, & ſcripto Judicibus tradere jurati.

Quoniam Albertus Nicolaus Gnievosſius Epiſcopus Cujavienſis, item Georgius Osſolinſcius, Regni, deniq́ Albertus Stanislaus Dux Radzivillius Magni Duc. Lithvaniæ Cancellarius, votorum exolvendorum causâ, iter extra Regnum ſuſcipere deſtinaverint, & in id misſionem à Rege & Republ. poſtulent, ea illis autoritate Comitiali datur.

Samueli Boleſtraſzycio equiti, infamiâ olim notato, honos priſtinus, aliis nonnullis ex eodem ordine equeſtri literæ ſecuritatis, & ſi illi antè futura proximè comitia novis meritis debitè priora dedecora eluerint, ſpes honoris in integrum reſtituendi datur.

Quia

Quia in Comitiis istis, ob gravissimas causas, publica inprimis pericula, ad angustiores solito terminos redactis, multis Palatinatuum postulatis satisfieri non potuerit; ea omnia in futura Comitia rejiciuntur, spe factâ amplissimâ, omnium tum Ordinum vota, in Religionis etiam negotio, & sarciendis exorbitationibus, omni ope ac studio expletum iri.

Postremò quantum pecuniæ ad colligendum militem, quantum etiam militum suorum publicæ Reipubl. necessitati offerant Palatinatus, ex singulorum tum Palatinatuum provinciarumq; Regni & M. D. Lithvaniæ nunciis auditum, atq; in codicem Constitutionum relatum est.

HISTORIÆ POLONÆ PLENIORIS

LIBER VI.

SUprà in ingressu Comitiorum istorum faciebamus mentionem Delegatorum, quibus de pace cum Chmelnicio agendi potestatem dederit Respublica. Illi quid effecerint, jam exponendum est: miraturo haud dubiè lectore, ut partis unius immanem barbariem, ita *Pereaslaviensis Negotiatio pacis cum Chmelnicio.*

alterius eximiam, & nisi tempore Reipublicæ ac necessitate, tum loci etiam, ubi res acta est, iniquitate excusaretur, propè immodicam facilitatem tolerantiamq;. Alicubi & mihi ipsi vix persuaderem, vera esse, quæ de re istâ memorabo: nisi ex uno Delegatorum, viro magnæ autoritatis, omnia hæc, quæ scribere hâc de re paro, hausissem.

Prima autem omnium Commissariis, antequam iter ingrederentur, cum Chmelnicio de loco conventûs disceptatio fuit. Illi Kioviam elegerant. Chmelnicius urbem hanc non ita, ut rebus suis opus esse putaret, à Poloniâ remotam ratus, Pereaslaviam mavult, oppidum Regium quidem, & Conjecpolscii Vexilliferi Regni jurisdictioni subjectum, sed à Cosacis, omnis istius tractûs undiquaq; potentibus, insessum. Hoc itaq; loco se tutum futurum homo ex conscientiâ facinorum timidus putabat: aliò ad tractandum pacis negotium non nisi cum exercitu iturus: à quo haud dubiè nova calamitas Poloniæ terris succrevisset. Utilitate igitur Regni adduci se passi sunt Commissarii, ut in locum consentirent, quem homo contumax & jam, fatorum permissu, in noxam Reipublicæ nimiùm validus, elegerat. Ubi autem illi superatis multis difficultatibus, Pereaslaviæ oppido rigidissimâ

De loco pacificationis dubitationes.

dissima hyeme appropinquaverant, obvius illis ad stadium circiter unum fit Chmelnicius, multis comitatus Tribunis, Centurionibus, & intercinente simul militaris musicæ strepitu. Ingredientes urbem viginti primùm machinarum explosarum boatus, & mox domi suæ Chmelnicius convivio excepit; in quo etsi frontem explicare videbantur Cosaci, haud temperârunt tamen, quin sub ipsa statim hæc initia, atq; adeò primi convivii quasi hilaria, sinistra aliqua in Visniovecium, Coniecpolscium, aliosq; Polonos jácerent. Postero die, qui erat 20. Februarii, Kisielus Palatinus Commissionis princeps, clavam Cyanis gemmis fulgidam, simulq; frater Palatini, Nicolaus vexillum rubeum, aquilâ albâ & nomine Joannis Casimiri Regis insignitum, Chmelnicio publicè reddidêre. Ille sic satis reverenter oblata accepit, gratiasq; egit, sed militariter & perfunctoriè. Invitatus iterum cum Collegis ad convivium Palatinus, antequam dapes inferrentur, egregio sermone beneficia Regia, quæ, se internuncio, acciperet, eidem Chmelnicio edisserebat: *memoriam tot facinorum deletam, antiquam Græcæ Religionis libertatem, exercitûs Zaporoviani augendi potestatem, veterum jurium & privilegiorum restitutionem, & de-*

Pereaslaviam veniunt Delegati.

Chmelnicio clava, & vexillum nomine Regis offertur.

Beneficia Regia in Chmelnicium.

niq; totius illius exercitûs regimen. Mereri ista mutui à Chmelnicio affectûs & fidelis obsequii non vulgares nec fucatas significationes. Primas & optimas fore, si inhibitis sanguinis profusionibus, & agrestium turbâ sub legitimum herorum regimen remissâ, ad æquas pacis conditiones accedat.

Chmelnicius gratias agit, sed simul multa aspera adjicit. Ille, *pro oblato exercitûs Zaporobiani regimine, simul & pro datâ commissorum veniâ, gratias se agere,* respondet. *Cæterùm compositionis negotium non inchoari jam, nedum consummari posse: milite Zaporoviano per stationes latè disperso, absentibusq; adeò, sine quibus agere tam ardua, capitale sibi futurum sit. Neq; verò sibi pacem cordi esse, quam diu Visniovecio & Czaplinscio* (hos enim simul, & alterum ne Ducis quidem titulo addito, iratus nominabat) *impunè sit, Cosacos adeò inclementer habuisse. Illum omninò puniendum; hunc dedendum sibi, præcipuos scilicet malorum omnium autores.*

Minatur Visnovecio, & aliis. *Nec Potocium quidem summum Ducem exsortem culpæ, qui Cosacum intra Borysthenis paludes saluti suæ consulentem, pervicaciter insecutus sit. Sed hunc suæ sibi fortunæ fabrum, sat acres jam malè consultorum pœnas in Tauricâ pendere. Vexilliferum quoq; Regni ibidem numerandũ, qui Patrimonio ipsum exuerit; & agros inter*

Lasczo-

Laszczovianos milites distribuerit, qui deinde Cosacos de Republ. benè meritos mancipiorum loco habuerint, nullo in illos avaritiæ, crudelitatis, contumeliæq; genere omisso. Sed huic tamen non æquè à se imputari mala, quæ contigerint, quàm duobus illis ante nominatis. In his cudendam fabam: id nisi fiat, aut sibi cum exercitu Zaporohiano, aut Lachis cum Senatu, Ducibus, Regulis, nobilitate omni, pereundum. Jure autem arbitrari se, parsimoniam sanguinis Christiani & amicitiæ ostentamenta falsò jam præferri. Nihil quippe amicum fidumvé spirare nuperum facinus Lithvanorum, qui Mozirum & Turoviam immaniter exceperint, & à Radzivillio istìc unum Cosacorum palo trajici jussum. Cæterùm monitum jam à se illum: qui si unum hominem habuerit, in quem iram sic crudeliter effunderet, esse sibi quadringentos Polonos, quos vindictæ immolare possit. Hâc promulside acuebatur palatus Delegatorum ad prandii delicias. Nec placidiùs agebant cæteri. Lentovio Monacho Carmelitani Ordinis, qui loco Mokrscii (nam hunc præmatura mors abripuerat) apud Cosacos agebat, cùm fortè diceret, nonnisi incertos de Baro, oppidisq; Lithvaniæ direptis rumores, nec tantâ Chmelnicii & Cosacorum bile dignos

 esse,

esse, unus ex Tribunis Cosacicis multa inclementer dixit, & tantum non vim intulit.

Magnâ constantiâ pertulêre Delegati furibundos, Chmelnicium quoq; delenificis verbis tranquillũ reddere Palatinus, quanquam frustrà, nitebatur. Aderat tum eodem in oppido Legatus Moscoviticus, quî cum sermonem sociare Delegatis votum erat, sed congredi prohibebantur à Chmielnicio. Die quidem Dominico in idem templum illum & binos Delegatorum casus deduxerat, sed in publico, intra vulgarium salutationum solennia consistere oportuit; nullâ se dante commoditate ad secretius colloquium. Eodem die cum, tempus fallere iidem illi Delegati quærerent, arcem oppido appositam, lustrârunt. Sed jam nonnisi cadaver Arcis conspiciebatur: adeò & penitus pervastata erat hâc ipsâ rebellii tempestate. Eadem facies Gymnasii Templiq; Patrum Jesuitarum ibidem erat. Nulla imago, ara nulla supererat; hiabant sepulchra, & cadavera sepulchris ejecta jacebant. Inter alia conditorium Lucæ Zolkiewii Palatini olim Braclaviensis, simul verò tum huic oppido præfecti, reclusum spectabatur, é quo nefaria rebellium rapacitas res corpori superstites, insignia bellica, & annulum Adamante fulgidum abstulerat.

Legatus Moscoviticus.

Arcis Pereaslaviensis vastitas.

Sepulchrum Zolkievianum.

ſtulerat. Invitatus poſteà Chmielnicius à Palatino, & comiter habitus eſt. Sed nondum illa humanitas aut ſuadæ vis impetrare ab homine potuit, quin ſubinde inveheretur in Polonos, perniciem illis, ſibi & Ruſſis latisſimum imperium portendens. Diriora etiam poſtero die, cum ex crapulâ heſternâ parum ſibi adhuc conſtantem Kiſielus ſignifer & Zacharias Czetwertinius reperisſent, deſpumavit. Et jam nihil boni huic compoſitionis conatui ominari delegati; potiusq; de ſecuritate reditûs, quàm de ullo Legationis proſpero eventu cogitare cæperant. Sequente tamen die, denuò hominem Palatinus aggreditur, lacrymas intermiſcens ſermoni. *Vide*, inquit, *mi Chmelnici, quid agas: qui non Polonorum tantùm Lithvanorumq; terram, ſed & Religionem Græcam, & templa ſanctisſima, ſine causâ, Paganorum ſubjicere paras libidini. Si læſus es, ſi peccavit in te Czaplinſcius aliquis: ſarcietur tibi injuria. Si exercitus Zaporobianus nimiùm aut parvus numero, aut arctis finibus incluſus videtur, promiſit Rex auctionem. Cogita nec Poloniæ Regnum ſine milite Zaporoviano, ſed nec hunc ſine Polonorum Lithvanorumq; auxilio ſufficere potentiæ Paganæ. Faceſſat à te turba hæc agreſtium, non armis ferendis, ſed ſtivæ tractandæ*

Chmelnicius adhuc minaciter agit.

Kiſielus Chmelnicium mitigare conatur.

ctandæ natorum. Arent isti & repastinent rura sua: militent Cosaci, nec misceatur gens decorum plena, cum ignavâ glebæ adscriptorum colluvie. Licebit, si voles, pace Regiâ, exercitum tuum ad duodecim aut quindecim millia militum extendere. Hunc in Paganos ducere, hoc patriæ limites proferre, gloriosum tibi, Christianis omnibus utile erit. Non mitescebat dictis ejusmodi Cosacus, sed magis magisq; efferabatur. Clamabatq;, *frustrà jam profundi verba: tum fuisse opportunum secum tractandi tempus, cum Potocii cis & ultra Borysthenem ipsum persequerentur, fuisse adhuc, cum primis conflictibus victus esset Polonorum exercitus, fuisse item ad Constantinovum, ad Zamoscium, fuisse deniq; toto sex septimanarum, quas Kioviam revertendo detrivisset, spatio. Nunc pacis negotiationi non esse locum. Vindicandam sibi gentem Ruthenorum universam à servitute Lachorum: & mota nuper, privatæ injuriæ stimulatione, arma, jam pro religione gerenda. Pronos in id juxta secum omnes circumquaq; agrestes, etiam longè habitantes. Hos adeò minimè unquam deserturum se; quippe quorum in salute, Cosacorum vertatur incolumitas. In promptu sibi fore ducentorum & amplius millium exercitum, & præter hunc Tartaros. Quorum*

Chmelnicius nihilo mitior.

Minatur.

rum primarios Duces, carissima sibi capita, in æternæ amicitiæ fœdus secum conspirâsse. In hos adeò, uti & in Turcas, ullumve alium externum hostem, frustrà sibi bellum imponi aut suaderi. Sufficere sibi Ukrainam, Podoliam, Voliniam, Russiam. Nihil defuturum sibi, ad Leopolin, Chelmam, Haliciam usq;, omnia possidenti. Stantem ad Vistulæ ripam se Transvistulanos inclamaturum esse, ut silentes pace suâ fruantùr. Inquietis nec Vistulam contra vim Russorum fore præsidio. Duces inprimis Regulosq; omnes ubiq; se persecuturum: in Ukrainâ verò nec nobili quidem ulli futurum deinceps locum; nisi & Exercitui Zaporoviano honorem debitum, & Regi reverentius obsequium præstet. Ferociter ita loquenti succlamabant Tribuni horrendis vocibus, & multum contemptum eorum, quorum sub imperio hactenus fuerant, spirantibus. Quorum vociferationibus Chmelnicius tandem subjiciebat; *Non inauspicatò jam se hoc bellum moliri, sed faustis Patriarchæ precibus ominibusq; ad id consecratum, & datâ peccatorum omnium veniâ, Lachos ad internecionem usq; persequi jussum. Nefas fore tam sanctum, tam venerabilem hospitem non audire. Inde adeò mandâsse jam copiis omnibus suis, paratæ ut sint ad movenda stativa, sed sine impedimentis,* *Patriarchæ Græco nimis auscultat Chmelnicius.*

quæ

quæ apud Polonos affatim reperturus quisq; sit. Nec se nisi perone aliquo instructum processurum. Hæc incomposito vultu, stridens dentibus, pedibusq; humum pulsans, ejaculabatur; Delegatis inhorrentibus,&, quod unum in hostili inconditorum hominum solo poterant, mitigare nitentibus furentem. Cæterùm quod in sermone suo, de Patriarchâ subinde jaciebat Chmelnicius, id ita habet. Non Constantinopolitanus is erat, cui alioquin Rutheni omnia venerantium officia, ut primo Ecclesiæ suæ Capiti, deferunt, sed Hierosolymitanum se Patriarcham ferebat. Corinthi Archiepiscopum olim fuisse, alii posteà sparsêre. Profugus verò nunc erat, atq; ob facinora à muneris & sacrorum communione proscriptus. Hinc evitatâ Constantinopoli, per Muldaviã, citatis itinerib⁹, Kioviam venerat, cumq; Chmelnicium Victorem redire cognôsset, mille equitibus, & Metropolitâ ejus loci comitatus, obviam ei ad primũ lapidem processerat; honorifica oratione & illustrissimi principis titulo ipsum veneratus: aliis pariter undiquaq; effundentibus se in occursum & *Mosen Servatorem, Liberatorem* populi, & magno omine, *Bohdanum* hoc est *à Deo datum* certatim appellantibus. Pompæ augendæ serviebat tum

Quis ille Patriarcha.

Ejus adulationes in Chmelnicium.

natalis

natalis Servatoris, dies ut ubiq; inter Christianos, sic in Ecclesiâ Græcâ magnis solennitatibus celebrari solitus. Ad eum sanctè habendum non more consueto, sed multis splendidisq; epulationibus præparabant se piiisti. In pervigilio ipso largiter se omnes invitavêre: tàm in potu, quàm veneratione triumphatoris, ut appellabant, Chmelnicii, modū omnem supergressi. Die porrò festo, Patriarcha ille, si Diis placet, sacrū celebrans, ad communionem S. Cœnæ Chmelnicium nequicquam cunctantem (quia parùm paratum se sentiebat) invitat; & accedenti veniam præteritorum, præsentium & futurorum facinorum largitur. Mox & conjugium ejusdem cum Czaplinscii, primi adversarii sui uxore (quanquam tum absente) solenni benedictione ratum esse jubet. Deniq; bello adversum Lachos, (ita Polonos Russi vocant) secundis ominationibus ipsum inaugurat. Quæ cùm fierent, intonabant machinarum bellicarum boatus; clangebantq; voces, *Salvatorem & Magnum Ducem* ingeminantes. His tam fædis assentationibus non adeò mirum est Chmelnicii ingenium, insolens scilicet talium, cessisse, re tot seculorum innumeris exemplis compertâ, benè etiam *præparatas mentes faciliùs à blandiente fortunâ, quàm* " *adversâ*

Chmelnicij assentationib9 corrumpitur.

„ *adversâ vinci. Nam quos asperæ res mo-*
„ *destos atq; industrios reddunt, eos felici-*
„ *tas dulcibus venenis in honesti omnis, &*
„ *sui denique oblivionem soporat.* Præcipuè verò Græci istius Præsulis vel potius Impostoris adulatio hominem dementabat, altiùs scilicet pectori illabente pestiferâ fraude, quia Religionis specie tegebatur. Equos sejuges & mille florenos in præmium imposturæ à Chmelnicio cùm accepisset pseudopatriarcha, in Moscoviam abiit, istic, ut fama est, fraudum suarum larvâ non ita feliciter protectus; quin ex suis virtutibus ornaretur. Rem verò ita comparatam advertentes Delegati, tantò intentiùs redeundi ad suos circumspectabant vias; cùm præsertim inaudivissent, disceptari inter Cosacos, dimittine ipsos, an spoliatos in Codacanam arcem projici melius esset.

Patriarcha remuneratur à Chmelnicio.

Captivorum quoq; cura coquebat Delegatos; quos destituere & sub cultro quasi relinquere nefas ducebant. Eos saltem si liberarent, fore qualecunq; itineris & laborum suorum pretium. Inprimis illos, quos deditâ arce Codacanâ in fidem accepisset hostis, salvo jure divino humanové, retineri ab ipso non posse videbatur. Ea arx, olim de consilio Stanislai Coniecpolscii, exercituũ Ducis, frænandis Cosacis Tartarisq;

Captivos liberari cupiunt delegati.

Codacanæ arcis deditio.

tisq;, in camporum desertorum, extremis, ad ripam Borysthenis, posita erat, validumque impositum præsidium. Sed postremo hoc bello, cùm post fusos exercitus, nullo modo se sustinendæ hostis potentiæ pares esse viderent præsidiarii, inter alias honestissimas conditiones, liberum sibi ad suos reditum pacti fuerunt; jurante ipsis, per quicquid cœlo terrâq; sacrum verendumvé est, Nesterenio, Sumekio, Volczynko, Cosacorum Tribunis; se ab omni vi intactos tutosquè, quò & quam diu duci vellent, deducturos. Ita egresli ex arce bellatores præsignes, Christophorus Grodzicius Arcis Gubernator, postea Armamentarii præfectus generalis, Josephus Lanczynius excubiis præfectus, Martinus Czarnecius, Adamus Sobiescius, Stanislaus Coniecpolscius, (qui postea jussu Chmelnicii obtruncatus est) aliiq; multis stipendiis egregii viri, cum milite gregario; arma quisq; sua & impedimenta, prout pacti erant, efferentes. At cum per longa viarum discrimina ad exercitum Zaporovianum pertigerant; istic tandem, Chmelnicii jussu, attinebantur. Qui liberos dimittere aliquoties pollicitus, lentiùs fidem exsolvebat, interdum bello captos, adeoq; suis nutibus obnoxios esse, responsans. Regerebant Delegati, milites benè

Præsidiarii arcis Codacanæ contra pactum detinentur.

benè meritos & servos Regis ac Reipubl. hos esse. Tandem etiam Delegatorum unus, Albertus Miascovius, addidit, *vel à paganis reddi solere captivos, & id illis solenne esse, dare hoc integrandæ amicitiæ pignus. Seipsum olim à Rege Constantinopolin missum, ab Ibraimo Soltano Ottomanico aliquot centenos captivos impetrâsse. Quantò æquius Chmelnicium, Regi subjectum, clavâ imperatoriâ recens à Principe suo donatum, subditos ejus & milites non armis, non prælio victos, sed pactis legibusq; certis in fidem acceptos, Delegatis Regiis potius reddere, quàm captivitatis & servitutis squalore conficere. Si hâc in re adeò iniquum se præbuerit, nil profectò de fide, obsequio, bonové affectu ejus sperandũ fore.* Nihilo magis his, quàm ante tot aliis sermonib⁹ movebatur homo obstinat⁹ & fortunâ ebri⁹. *Restitutũ iri illos*, agebat, *sed nõ ante, quàm à Lithvanis Polonisq; omnib⁹ vellicari Cosaci desinerent. Andreæ Potocio* (nam & is inter captivos erat) *expectandum in vinculis fratrem Præfectum Camenecensem, quem famâ sit Baro, nobili Podoliæ suæ* (ita vocabat) *civitati gravem esse. Jussas à se in illum ire Legiones, & vivum ipsum adduci.*

Id exprobratur Chmelnicio.

Ille adhuc minatur.

Cùm posteà tyrannidem, quam Kioviæ ingentem Neczajus Braclaviensis Cosaco-

rum

rum Tribunus exerceat in omnem sexum, ætatem, ordinem, jussu, ut fama erat, Chmelnicii, objectarent Delegati, respondere ille, *neminem innocentem à se violari jussum, sed eos tantùm, qui partes Cosacorum amplecti nollent. Liberum sibi Kioviæ agere, quicquid vellet: se Dominum & Palatinum jam ejus Urbis, Dei & gladii sui beneficio, esse.*

Sub hæc Legatum Moscoviticum dimisit Chmelnicius, cùm pridie nuncius quoq; Principis Transsylvani egregiè donatus abiisset. Uterq; insalutatis Polonis profectus est; utcunq; Legatus Moscoviticus impensè Kisieli Palatini colloquium expeteret. Ejus postulata in occulto habebantur; nisi quod fama ferebat, illum Magni Ducis sui nomine quæsivisse, *an Religionis causâ bellum hoc gereret; id si esset, quadraginta millium exercitum auxilio missurum Ducem, hâc lege, ut pars Ukrainæ Moscis cederet.* Ex Legati verò domesticis cognitū est, Duci haud volenti esse Chmielnicii istos in Rempubl. ausus, ac proinde eum admonitum, *impetus uti suos sufflaminet, contineatq; à sanguine Christiano, & subditorum Domini sui injuriis, Regi Poloniæ fratrem se esse & futurum, quiq; ei iniquè adversentur, iis se omni vi suâ contrarium fore.* Sed Græcâ fide,

Legatus Moscoviticus abit à Chmelnicio.

Illius apud Chmelnicium Legationis finis.

fide hæc dicta, & potiùs occulta in futurum fundamenta belli jacta hîc esse, eventus postea docuit. Cæterum profectis illis, tantò magis Delegati, bonâ similiter pace, dimitti postulabant. Et annuebat Chmelnicius, si epistolâ unâ contenti, re nullâ prætereà effectâ, abire vellent. Tandem tamen multis magnisq; Kisieli laboribus obtentum est, ut certas conditiones chartæ injici permitteret, subscribere iis, si placuissent, pollicitus. In quibus difficultatis plurimum movit, quod Delegati Polonis exercitibus integrum esse volebant, durantibus his induciis, ad Szlucum amnem, & aliâ parte Barum, Vinniciam, & Braclaviam usque progredi. Arctiores enim Regiis Chmelnicius, sibi patentiores figi limites poscebat. Cùm circa hoc diu frustrà decertatũ esset, in captivos conversa Delegatorum cura est: quos ut liberarent, nihil inexpertum reliquêre. Nec jam verbis tantùm sed & nummis emollire ferreum nitebantur hostis animum. Neque Chmelnicium duntaxat, sed & alios, qui apud eum aliquid posse credebantur, solicitabant; aurum ingerentes, & ubi, quos vellent, libertati redditos viderint, stipulantes majora. Nihil omnibus istis conatibus effectum est, quàm ut denique excubiæ intenderentur, ne ullus, invitis aut

Conditiones Pacis aliqua scribuntur.

De captivis iterum disceptatur.

tis aut insciis Cosacis, elabi posset. Postremâ ante abitum nocte, nonnulli ex ipso etiam Delegatorum famulitio submersi sunt. Adeo inter istos jus gentium pensi habetur. Tandem XXIV. Februarii seriò jam discessum molientes Delegati, denunciari Chmelnicio jussêre, *vale se ipsi dicere, simulq; ultimas preces pro captivis interponere velle.* Cum is ad Delegatos venire promitteret, prævenêre tamen hi; & quantumvis æger admodum, perq; arthritidos paroxysmum, manibus pedibusq; captus, nihilominus trahâ vehi se cum Collegis ad Chmelnicii ædes jussit Kisielus. In quarum atrio (descendere enim moveriq; de trahâ in domum, molestum fuisset ægro) congressus cum Delegatis Chmelnicius, puncta manu suâ subsignata Palatino tradebat; nec non literas binas, quarum alteræ ad Regem, alteræ ad Magnum Cancellarium scriptæ erant. Simul cantherium & in sacculo centum plus minus aureos Kisielo donat, quos ille protenus inter captivos distribuit. Pro his verò jam undiq; iterum accuratissimæ fiebant deprecationes, illis simul ipsis, quorum res agebatur, tantùm non sanguinem lacrymantibus, &, si non pacta, non preces, non pretium apud immitem valerent, saltem Tartaris tradi poscentibus: quippe à

Chmelnicio valedicunt Delegati.

Dona Chmelnicii.

quibus auro utiq; impetrabilis esset libertas. Surdo adhuc narrabatur fabula. Andreæ insuper Potocio captivorum primario, si patruelis frater ejus, quod fama narraret, Barum invasisset, dira denunciabantur. Quin binis jam noctibus sonuerant apud plebem Cosacorum voces, omnia extrema ipsis quoq; Delegatis minantes. In extremo dexterarum complexu, Induciarum fidem ad Pentecosten usq; diligenter tuendam, Palatinus Chmelnicio amicè commendabat: hic vicissim ambiguum quid de futurâ compositione mussitans, sistere tamen ad eum conventum captivos & machinas aliquot bellicas pollicebatur. Ita discessum est: Cosacorum Tribunis Delegatos extra Urbem comitantibus. Sed longiùs eosdem comitabatur metus, uti inter malè fidos infestosq;.

Periculum & captivis & Delegatis imminet.

Afflictos undiq; proditiones etiam turbabant. Inventi quippe ex famulitio Delegatorum nonnulli, etiam secretorum non ignari, qui ad hostem seu sponte, seu promissis empti, profugêre. Contrà & ab hoste clam elapsi circiter centum homines diversæ sortis, Delegatos assectabantur. Quod idem Kioviæ fiebat, cùm bini ex Delegatis eò divertissent. Cæterùm ut appareat, quid hâc legatione effectum sit, operæ pretium est con-

est conditiones, quarum ante jacta mentio, hîc subjicere.

Conditiones Pacificationis Pereaslaviensis.

1. Clavam & Vexillum à Regiâ Majestate & Reipubl. missa, Dux & exercitus Zaporovianus recipiunt, in fideli obsequio manere pollicentes, quemadmodum ex peculiari in id scriptâ epistolâ appareat.

2. Quia ob inopiam pabuli exercitus Cosacorum jam congregari nequeat, id quod tamen ad conficiendum exercitûs futuri album seu matriculam & discriminandam à stipendiariis plebem necessariò fieri oporteat, ideò pacificatio hæc seu, ut vocant, Commissio, ad proximum ver, & nominatim ad Græci ritûs Pentecosten profertur. Ad quod tempus, Zaporohianum Sacræ Regiæ Majest. exercitũ Ductor ejus ordinet, ac secundum antiquas consuetudines & privilegia Zaporohianæ militiæ componat, provisurus, ut exercitus ille ad Borysthenem & solennes Tartarorum irrumpentium vias, in Palatinatu Kioviensi, ritè dispositus reperiatur. Ad eundem diem duo Viri à Regiâ Majestate perficiendæ tractationi mittantur.

3. Quia Commissionis negotium confici nunc nequiverit; Poloni interim Lithvaniq; & pariter ex alterâ parte Zaporohiani exercitus pacificé & intra limites agunto. Ita ut dicti exercitus neutrubi Pripetum & Horinum

Horinum fluvios, & in Podoliæ Braclaviæq; terris Cameneciam ne transgrediantur, nec se irruptionibus, suggressionibusve mutuis infestanto. Et si illi exercitus eorumq; aliquæ partes jam alicubi dictos terminos migraverint, recedunto. Quâ de re diplomata jam mox utrinq; dimittuntor; post quorum publicationem, si quis fines dictos transgredi sustinuerit, pro contumace habetor & punitor.

4. *Ne interturbationibus ansa detur, Domini & hæredes possessionum ultra nominatos limites sitarum, ab earum ingressu & inhabitatione, omniq; jure postliminii ad definitum tempus abstinento. Qui inter Horinum & Slucum sua tenent, integri porrò indemnesq;, dum limites modò fixos ne egrediantur, tenento.*

5. *Ad contestandum fidele suum erga Regiam Majestatem obsequium, Ductor militiæ Zaporohianæ captivos omnes in futuro Commissionis conventu, Regi reddere salvos atq; incolumes, Deo volente, promittit: petens vicissim ut Czaplinscius tum sibi dedatur, qui injectâ prædio & vitæ Chmelnicii manu, hujus incendii prima fax, & jam prioris quoq; belli autor fuerit, aliis potentioribus ad sequius consilium dolo ejus inductis.*

6. *Istas*

6. Istas conditiones sub fide & conscientiâ bonâ, integrè immoteq; servare & exequi Palatinus Braclaviensis & Collegæ ejus nomine Regiæ Majestatis totiusq; Reipubl. Polonæ, nomine verò universi exercitûs Zaporohiani Ductor ejus promittit spondetq;, manu utrinq; & sigillo apposito. Actum Pereaslaviæ 24. Februarii Anno Domini 1649. Literæ ad Regem supplices in hunc sensum conceptæ erant. *Cum acerrimis injuriarum stimulis ad excutiendum servitutis jugum incitati compulsiq;, alios propè jam Dominos circumspicere cæpissemus: Illustris Palatini Braclaviensis autoritate à proposito revocati, in obsequio Regiæ Majestatis manemus, ac manere parati sumus: ubi Sacra Regia Majestas compotes nos votorum fecerit, quæ ista sunt:*

Petuntur plura à Rege pro Cosacis.

1. Servitus, quam Turcicâ haud mitiorem gens nostra Ruthena in antiquâ suâ Græcâ Religione propter Unionem patitur, petimus, ut solvatur. Ita ut, more antiquo, unius ritûs atq; eorundem Sacrorum gens Ruthena, & Episcopatus Ecclesiæq;, totâ Russiâ, Poloniâ, Lithvaniâq; sint. Nomen Unionis ut deleatur: ita ut duo tantum ritus, qui in primo Russiæ cum Poloniâ coalitu viguêre, serventur. Quicunq; Episcoporum, ritum Latinum sequi maluerint, id iis integrum esto, dum Græca templa & veteres fundatio

nes redituum Ruthenis restituant: quibus Ecclesia Græca magis probatur, in eâ manere citra noxam possint. In summâ, ut dentur Romanæ Græcæq; Ecclesiæ ea, quæ antiquitus ad quamq; pertinuerint, & nemo usquam fratrum nostrorum novo unionis jugo gravetur. Eo remoto, æquior faciliorq; concordia erit.

2. Cum Czaplinscius prioris belli præcipuus incentor fuerit, post ablatum mihi Chmelnicio prædium, vitam quoq; meam adortus; eum ut malorum primum autorem nobis dedi petimus.

3. Alterius & majoris belli cum Dux Visniovecius fax & origo exstiterit; utpote pacis commissionisq; inchoatæ violator, cum eo, si Dux exercituum creatus fuerit, nec pacificè nos agere, nec omninò illum in Ukrainam admittere velle, & ad bellum omninò redeundum fore, denunciamus.

4. Palatinus Kioviensis ut sit gentis nostræ, ritûs verò Græci; ne in templa Græcæ Religionis injurius sit, quemadmodum hodiernus est, qui in arce templa nostra demolitus, alia strui vetuit. Ei alium altiorem in Senatu locum; nobis verò Palatinum eorundem nobiscum sacrorum optamus. Itidem Metropolita ut in Senatu sedem habeat. Ita ut tres omninò Senatores, inter Ecclesiasticos

ſticos Metropolita, inter Politicos Palatinus & Caſtellanus Kiovienſes noſtræ Religioni addicti ejusq́; proinde, uti & juris Ruthenorum Patroni & Vindices inpoſterùm habeantur.

5. Kioviæ quæ ſunt templa, & monaſteria maneant inviolata; ſed Jeſuitæ exeſſe jubeantur, quos ut ægrè faceret Ruthenis, introduxit Palatinus; inde intolerabili confuſioni data anſa eſt.

Quia autem in pactis iſtis Unionis & Unitorum non rara ſit mentio, breviter, quid iis nominibus ſignificetur, indicandum eſt. Orientalem Eccleſiam, quæ & Græca appellatur, non tàm gravi aliquo ſententiarum divortio ab Eccleſiâ Romanâ, quàm ab ejus capite Papâ, dedignatione obſequii, disſidere, adeoq; Schiſmaticos appellari, conſtat apud rerū gnaros. Quotquot igitur ejus ritûs in Rusſiâ olim erant, omnes Conſtantinopolitani Patriarchæ antiſtitio ſubjecti, ex alieni & Turcici quidem imperii metropoli, leges, atq; inſtituta ſacra petebant. Quæ res, quia Chriſtiano populo nec decora ſatis nec tuta videretur: Regum Procerumq; Polonorum, præſertim verò Antiſtitū, cura eò jam dudū incubuit, ut hæc, quæ Turcicæ potentiæ, tum vicinitate, tum (quia ſub Turcâ multi Græcæ fidei) ipſo hoc Religionis nexu quodammodo

Unionis & unitorum origo ac progresſus.

dammodo obnoxia esſet provincia, ſub idem cum reliquâ Poloniâ ſacrorum Caput redigeretur. Vi ad eam rem adigere vetabant leges Regni; *& cùm nemini, tùm minimè iſtis eripienda videbatur religionis libertas, quam in primo ad Rempubl: acceſſu ſecum attuliſſent. Numeroſiſſimam porrò gentem violentia ejusmodi ad extrema omnia efferatura videbatur prudentibus & moderatis, qui, populum de ſervitutis oneribus jamdudum querulum, cum pro reliquâ libertate arma jam induere non auderet, pro ſacrorum ſuorum integritate lubenter arrepturum ajebant. Non una jam ejus rei ſpecimina edita, ſed tumere adhuc animos, & ſi gravius premantur, haud dubiè iterum atroci impetu erupturos.* Verùm Proceres Rutheni, Scholis & neceſſitudine Polonorum, aliis item invitamentis paulatim ferè omnes inducti ſunt, ut priſca inſtituta, & in iis ſacra ſua cum Polonis Romanisq; ſpontè mutarent. Plebs ut rudis, ſic vetuſtatis pertinax, quò magis novum ſacrorum regimen in terrâ ſuâ invaleſcere videret, eò acriùs querelis apertisq; inductæ mutationis execrationibus, minis deniq; contra niſa eſt; Coſacorum, qui omnes ejus ritûs eſſent, arma plerunq; circumſpiciens, & occultè identidem ciens. Sed inconditæ

Proceres Rutheni Religionem mutant.

conditæ multitudinis vis ingenio potentiáq; aliorum diu retardata, aut suppressa est. Tandem verò nonnulli ex ipsis Præsulibus Ruthenis, sententiarum suarum cum Occidentalis Ecclesiæ dogmatibus vicinitate animadversâ, divino impulsu flecti se passi sunt, ut Ecclesiæ Romanæ æquis conditionibus innecti velle testarentur. Et horum curâ missi deniq; sunt anno 1595. ad Clementem VIII, Rom: Pontificem duo Legati; Hyppatius Pociey, Vlodimiriensis Brestensisq;, alter Cyrillus Terlecki, Luceoriensis Antistes. Qui Romæ comiter accepti, cum, post habita ultrò citroq; de rei difficultatibus colloquia, quosdam Ecclesiæ suæ ritus Romanis aptare promisissent, potestatem cæteros retinendi impetravêre. Unde in partes mox discessit Ecclesia Ruthena, aliis, *Unitorum* nomine, Romanæ Ecclesiæ regimen amplectentibus, aliis prisci schismatis eò retinentioribus, quò plurium desertione ad sequendum solicitabantur: illo concordiæ & pacis consilio, ut sæpè fit, in sævissimum discordiæ incitamentum degenerante. Nimirum ut inter accolas nationes, ita inter vicinas Religiones acriora, nisi in tertiam aliquam conspirare communis utilitas aut necessitas impellat, odia sunt. Quia quò
pronior

pronior in illâ propinquitate transitus est ex unâ in aliam, eò intentiore studio illum obstruere fervidi partium Duces nituntur. Hincq; adeò cum curâ sæpè conquiruntur omnia, quæ ad distrahendos magis animos faciunr. Multa etiam, pacis alioquin studio tolerata, odiosis interpretationibus asperantur. Hînc sané in gravissimas dissensiones factionesq;, Russi ivêre, & nulli penè congressus, nulla etiam posthac Comitia quiritationibus Ruthenorum, *Unionem* quàm maximè incusantium, caruêre. Donec tandem, strepentibus Chmelnicii armis, causa, quæ Comitiorum autoritate transigi non potuit, gladiis acta est, & utramq; litigantium partem gravissimis calamitatibus, Podoliam verò & Ukrainam Turcico heu jugo deniq; subjecit.

INDEX RERUM insigniorum.

A.

B.

C.

Laurent.

Joannes

Theod.

O.

P.

Adam.

Toma-

Joh.

ERRA-

ERRATA.

PAg.3. lineâ 14. lege *perstringentem*. Pag. 4. lin. penult. lege *aguntur* & lin. ult. lege *famâ*. Pag. 15. lin. 5. lege *Zaporoviani*. Pag. 19. lin. 28. lege *langvidior*. Pag. 20. lin. 3. lege *obruuntur*. Pag. 21. lin. 22. lege *Pontum*. Pag. 22. lin. 19. lege *Cosacorum*. Pag. 23. lin. 14. lege *laneo*. & lin. 22. lege *qui*. Pag. 25. lin. 10. lege *incertam*. & lin. 16. lege *se querebantur*. Pag. 26. lin. 15. lege *Pereaslaviam*. Pag. 29. lin. 18. lege *inter quas* & lin. 16. lege *famem*. Pag. 31. lin. 12. lege *cœperit* & lin. 24. lege *subesse* & lin. 27. lege *Subpræfectum*. Pag. 32. lin. 6. lege *inde*. Pag. 33. lin. 14. lege *in compensationem* & lin. 16. lege *infensos* & lin. 20. lege *suum*. Pag. 34. lin. 2. lege *in quem* & lin. 8. lege *incertum* & lin. 14. lege *carcerem*. Pag. 35. lin. 1. lege *Varsaviæ*. & lin. 7. lege *gestabat* & lin. 25. lege *ingruente*. ibid. lege *comitatus*. Pag. 36. lin. 19. lege *inhospitas*. Pag. 37. lin. 1. lege *accurrisse*. & lin. 21. lege *Zaporovianis*. Pag. 39. lin. 8. lege *gratissima*. Pag. 41. lin. 10. lege *aperuêre* Pag. 42. lin. 10. dele &. & lin. 18. lege *Polovcos*. Pag. 43. lin. 18. post paludem deleatur. & lin. 27. lege *sunt*. Pag. 44. lin. 6. lege *Samarcanda*. lin. 7. lege *metropoli*.

ropoli. Pag. 46. lin. 2. lege *paulatim*. Pag. 48. lin. 9. lege *Asiatici*. & lin. 13. loco & pone *ex*. lin.13. lege *Situm*. Pag. 49. lin. 3. lege *Scytas*. & lin. 9. lege *Dobrucenses*. lin. 10. deleatur *alios*. lin. 22. lege *nominatum*. Pag. 50. lin. 8. lege *ferociæ*. & lin. 15. lege *Batto*. Pag. 52. lin. 11. lege *commisso*. lin. 25. lege *internæ*. & lin. 26. lege *libidini*. Pag. 53. lin. 6. lege *Cirum metopo*. lin. 17. lege 17. lege *propinquo*. Pag. 54. lin. 6. lege *terram*. l. 26. in marg. lege *Tartari*. & lin. 27. lege *Petihorienses*. Pag. 55. lin. 2. lege *Arrianus*. lin. 5. lege *Circassios*. lin. 9. lege *Cl.* Pag. 56. l. 12. lege *conspicua*.. ibid. *Mahmet-Gierei*. Pag. 57. lin. 8. lege *Principes*. lin. 15. lege *redegit*. Pap. 60. lin. 22. lege *partem*. Pag. 61. lin. 25. lege *inusitata*. Pag. 62. l. 13. lege *fortissimè*. & lin. 25. lege *Beauplanius*. Pag. 63. lin. 12. pro *inter* pone *in*. Pag. 64. lin. 10. lege *ex spoliis*. Pag. 66. lin. 15. lege *mox asseres*. Pag. 70. lin. 10. lege *Cosaci*. & lin. 16. lege *potiùs*. Pag. 71. lin. 21. lege *quanquam*. Pag. 72. lin. 16. in marg. lege *comite*. Pag. 73. l. 5. lege *vivum*. Pag. 74. lin. 9. lege *signum*. & lin. 15. lege *circumventus*. lin. 17. lege *polliceretur*. Pag. 75. lin. 8. lege *permissu*. Pag. 76. lin. 16. lege *transmittit*. Pag. 78. lin. 25. lege *in gentem*. Pag. 79. lin. 9. lege *experimentis*. & lin. 14. lege *nihil*. Pag. 85. lin. 2.

lege

lege *liberavit*. Pag. 90. lin. 23. lege *idcircò*. Pag. 91. lin. 25. lege *Monachus*. Pag 94. lin. 23. lege *Vezirum*. in marg. lin. 24. lege *ad*. Pag. 96. lin. 3. in marg lege *non*. Pag. 96. lin. 22. lege *sinistra*. Pag. 103. lin. 4. lege *ad ferendam*. & lin. 18. lege *navat*. & lin. 27. in marg. lege *corumpitur*. Pag. 106. lin. 16. lege *cùm*. Pag. 113. lin. 13. dividantur verba *amplecti maluerunt*. Pag. 118. lin. 1. lege *ablegandos*. Pag. 121. lin. 12. in marg. lege *examinantur*. Pag. 125. lin. 14. lege *hucusq;*. lin. 16. lege *peregrè*. Pag. 132. lin. 12. lege *civibus*. Pag. 134. lin. 2. lege *saltem*. Pag. 137. lin. 12. lege *magnitudinem*. Pag. 139 lin. 23. lege *defendit*. Pag 144. lin. 5. lege *missis*. Pag. 156. lin. 25. lege *carraginem*. Pag. 157. lin. 22. lege *caruit*. & lin. 25. lege *attinerentur*. Pag. 160. lin. 15. lege *equidem*. & lin. 23. lege *iret*. Pag. 161. lin. 12. lege *celeritatem*. Pag. 162. lin. 26. lege *compendium*. Pag. 165. lin. 5. lege *strui*. Pag. 166. lin. 4. lege *effugêre*. Pag. 167. lin. 15. in marg. lege *Brodana*. lin. 24 lege *fidei*. Pag. 187. lin. 28. lege *suffecturam*. Pag. 193. lin. 8. lege *Convocatione*. Pag. 206. lin. 13. lege *fratribus*. Pag. 212. lin. 5. lege *Electorales*. & lin. 20. lege *feudi sui*. Pag. 213. lin. penult. lege *urgebatur*. Pag. 220. lin. 17. lege *singulis*. Pag. 221. lin. 16. lege *Aquilifer*. & lin. 23. in marg. lege *Principi*.

tipi. Pag.222.lin.24. lege *Equestri*. Pag. 227. lin. 5. lege *Archiepiscopo*. Pag. 229. lin. 12. lege *Alexandro*. & lin. 22. lege *Alexandro*. Pag. 231. lin. 13. lege *nostro*. Pag. 236. lin. 25. lege *intulerant*. Pag. 238. lin. 7. lege *malis*. lin. 14. lege *tempore*. & lin. 20. lege *fastidiri*. & lin. 26. lege *ferream*. Pag. 247. lin. 26. lege *inclusus*. Pag. 251. lin. 20. lege *Nunciis*. Pag. 253. lin. 6. lege *noxiave*. Pag. 254. lin. 12. lege *cùm*. Pag. 255. lin. 11. lege *Meditandum*. Pag. 257. lin. 11. lege *Senatu*. Pag. 258. lin. 13. lege *Russiæ*. Pag. 259. lin. 7. lege *sibi*. & lin. 27. lege *gratia*. Pag. 261. lin. ult. lege *expectandum*. Pag. 268. lin. 24. lege *Vladislaviensis*. Pag. 271. lin. 11. lege *Pinscensium*. Pag. 278. lin. 27. lege *& Semigalliæ*. & lin. ult. lege *Piltensis*. Pag. 282. lin. 12. lege *nec*. Pag. 283. lin. 8. lege *tempestatis*. *Pag*. 286. lin. 21. lege *tantùm*. & lin. 28. lege *dissidentium*. *Pag*. 287. lin. 25. lege *cæptum*. *Pag*. 289. lin. 15. lege *variarent*. *Pag*. 309. lin. 6. lege *contenti*. *Pag*. 311. lin. 7. lege *scripta*. *Pag*. 314. lin. 1. lege *redituum*. *Pag*. 317. lin. ult. lege *necessitas*. In Indice sub Lit. C. *Pag*. alterâ lin. 20. lege *obtruncatur*. & lin. 21. lege 96. 120. & lin. 24. lege *Coricinscius*.